SCRIPTORVM

PVBLICE PROPOSITORVM

A GVBERNATORIBVS

studiorum in Academia

VVitebergensi.

TOMVS SECVNDVS.

COMPLECTENS ANnum 1553. & tres sequentes.

VVITEBERGÆ

EXCVSVS AB HÆREDIbus Georgij Rhaun.

ANNO M. D. LXII.

C F.
A
394 - 59.

Nutzungsbedingungen für Online-Angebote der Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

Die Online-Angebote der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek der Herzog August Bibliothek (http://digbib.hab.de) sind urheberrechtlich geschützt und unterliegen Nutzungsrechten. Soweit nicht anders vermerkt, stehen sie unter einer Creative Commons Namensnennung-Weitergabe unter gleichen Bedingungen 3.0 Deutschland Lizenz (CC BY-SA).



Unter diese fallen online frei verfügbare Imagedigitalisate, Strukturdaten, Volltexte, Daten aus Datenbanken (in der über OAI abfragbaren Form), Ton- und Videodokumente sowie aktuelle Publikationen. Bitte beachten Sie, dass für über die Webseiten der Herzog August Bibliothek angebotene Dokumente Dritter andere Rechte gelten können.

Erläuterung

Die Online verfügbaren digitalen Angebote der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek stehen allen Interessierten weltweit frei unter einer CC BY-SA Lizenz zur Nutzung zur Verfügung. Neben den in http://creativecommons.org/licenses/by-sa/3.0/de/legalcode ausgeführten allgemeinen Einschränkungen ist bei einer Nachnutzung Voraussetzung, dass a) der Urheber in der nachfolgend beschriebene Form genannt ist und dass b) das Angebot unter den gleichen Bedingungen, d.h. vor allem frei und unentgeltlich, erfolgt.

a) Bei der **Namensnennung** (BY) ist Folgendes zu beachten (vgl. CC BY-SA, Abschnitt 4.a und 4.c). In Digitalisaten angebrachte Herkunftsnachweise – typischerweise die Fußleiste - dürfen als Nachweis nicht entfernt werden.[1] Zugleich muss auf der Angebotsseite an geeigneter Stelle, in jedem Fall aber innerhalb der Domain des Angebotes ein Nachweis in der folgenden Form angebracht werden: Sofern ein eigener persistenter Link (PURL, URN, etc.) verwendet wird, muss der persistente Link der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek über, unter oder neben dem eigenen persistenten Link stehen.

Im Druck:

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <[Persistent URL[2]]>

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm> 

oder

© HAB Wolfenbüttel: 14 Astron. <http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm> 

[1] Beigefügte Maßtäbe unterliegen nicht dieser Beschränkung und dürfen entfernt werden.
[2] Zum Zitieren Wolfenbütteler Digitalisate s.: http://diglib.hab.de/?link=033

Im Internet (HTML Quelltext):

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <Persistent URL>

oder

© HAB Wolfenbüttel <[Signatur]> 

Z.B. Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <<a href="
http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm">14 Astron. 

Wenn sich auf der Seite eine zusätzliche Angabe zur Autorin oder Autor eines Beitrages findet, z.B. © [Autorname] ist folgende Form einzuhalten:

Im Druck:

© [Autorname]. Work originally *published by HAB Wolfenbüttel <Persistent URL>* 

Im Internet (HTML Quelltext):

© [Autorname]. Work originally published by HAB Wolfenbüttel <Persitent URL oder Signatur> 

Z.B © Flemming Schock. Work originally published by HAB Wolfenbüttel <<a href="
http://diglib.hab.de/edoc/ed000155/start.htm "> http://diglib.hab.de/edoc/ed000155/start.htm
> 

b) Bei der Bereitstellung unter **gleichen Bedingungen** ist zu beachten, dass das Werk *frei*, *unentgeltlich* und im Geiste der *Förderung der Kultur und Wissenschaften* zur Verfügung gestellt werden muss. Sofern dies gewährleistet ist, ist auch eine kommerzielle Nutzung, z.B. in der Wikipedia oder einem Open Access, unter CC BY-SA publizierenden wissenschaftlichen Verlag möglich. Nicht unter diese Lizenz fallen typische kommerzielle Produkte wie Verlagszeitschriften, die Nutzer kostenpflichtig erwerben müssen, zugangsbeschränkte Online-Angebote sowie Nutzungsarten, die ausschließlich auf Werbung oder andere nicht-wissenschaftliche Zwecke zielen. Für alle zuletzt genannten Fälle muss eine kostenpflichtige Sondernutzung vereinbart werden.

Nicht frei über die Homepage der Bibliothek verfügbare Angebote unterliegen gesonderten Nutzungsregeln, die von der Auskunft der Bibliothek (auskunft@hab.de) erfragt werden können. Im Übrigen gilt die Benutzungsordnung für Landesbibliotheken und die Gebührenordnung für die Bibliotheken des Landes Niedersachsen in der jeweils gültigen Fassung in Verbindung mit dem Niedersächsischen Verwaltungskostengesetz.

Der Direktor (2013-03-01)

HERZ. BIBLIOTHEK. WOLFENBÜTTEL.

ORNATISSIMO VIRO, SAPIENTIA, ERVDITIONE AC VIRTVte excellenti domino Hieronymo Bomgartnero Senatori Noribergensi Primario suo patrono

S. D.

BENEFICIORVM in me tuorum recordatio sæpe me commouit, ut cogitarem, quidnam à me proficiscí posset, quo obseruantiæ meæ erga te, & gratitudinis qualecunq; testimonium ederem. Per autem opportunè accidit, ut iuberer typis excudenda dare scripta illa, quæ proximis his annis à gubernatoribus studiorum in hac Academia publicè proposita, à me diligenter & ordine in unum uolumen collecta erant. Ea tuo nomini adscripta ad te mittere uolui, patrone ornatissime, ut tibi testatum facerem, me tuorum

rum meritorum memoriam conſtanter tueri, & optare ardentiſsimè, facultatem mihi dari, maiori aliquo officij genere declarandi meam in te pietatem. Sic enim me loqui cogit tua ſingularis in me, & uerè paterna beneficentia, qui ſemel me complexus, non deſtitiſti & monitis tuis confirmare, & re iuuare, ut in ſemel cepto ſtudiorum curſu perſeuerarem. Tibi igitur, ut parẽti alteri debebo, quod in literarum ſtudio conſecutus fuero. Nec uerò ego ſolus hoc de te merito tuo commemoro, ſed alij omnes, qui iſthinc ad Academias mittuntur, te patronum communem colẽtium pia ſtudia agnoſcunt & prædicant. Iſtam tuam laudem utinam & in patria noſtra plures, & in alijs opulentis ciuitatibus multi imitarentur. Eſſet profectò ſeriò diſcentium maior copia, & firmior ſpes à nobis concipi poſſet, de propaganda hac doctrinarum luce ad poſteritatem, quæ nunc ualdè imbecillis tenet eos, qui iudicio & prudentia ualent, quorum ego querelas ſæpe cum gemitu audio deplorantium huius ſeculi ingratitudinem coniunctam cum flagitioſo contemptu rerum ſummarum, & ſingulari beneficio Dei hac poſtrema ætate mundi denuo excitatarum, quales ſunt doctrinæ cœleſtis puritas tanta, quanta à multis ſeculis non fuit in Eccleſia, & linguarum facilis hoc tempore cognitio, & lux cæterarum artium, quæ ad explicationem doctrinæ Eccleſiaſticæ neceſſariæ ſunt. Adde huc optimorum librorum ex antiquitate in omnibus linguis, & profeſsionibus maximam, & non ita magno, ut olim, comparabilem copiam, quibus quotannis fermè aut alia ueterum ſcripta accedunt, quæ ex latebris & ſitu in lucem extrahuntur, aut ijdem Libri, qui prius mendoſi in manibus diſcentium uerſati ſunt, correctiores exhibentur. Nihil hic dicam de profeſſorum induſtria, fide & in docendo gratia, quàm ſæpe audio ſuperiore ætate in ſcholis parem non fuiſſe.

Cùm igitur Deus hanc tantam omnium doctrinarum lucẽ nunc denuo accenderit, optimorum librorum copiam

piam addiderit, uiros ad docendum idoneos & sedulos ubiq; excitauerit, non sine casu mirantur aliqui, unde tanta sit paucitas serio ac eo animo discentium, ut in studijs literarum tàm diu perseuerent, donec ad maturitatem aliquam, & quasi robur profectus peruenerint. Plerosq; enim nunc uideas, qui ex ludis literarijs in patria egressi, antequàm in primarum artium rudimentis & linguæ Latinæ usu confirmati sunt, ad Academias aduolare, ibiq; annum unum aut alterum commoratos, mox inde festinanter, ut solet canis ex Nilo bibens, rursus abripere, & quasi iam satis ad quaslibet functiones instructos, Scholarum aut Ecclesiarum gubernationes in sese recipere. Hæc festinatio quanta secum incommoda ferat, & sentiunt nunc Ecclesiæ, & sentiet magis posteritas nostra. Nam qui ipsi in Scholis non plenè instituti et confirmati sunt, sed umbram tantùm aliquam doctrinarum secum & persuasionem eruditionis ex Academijs asportarunt, quid illi postea puericiam cũ fructu aliquo docere possunt? Quomodo eam ad proprietatem sermonis latini, cuius in prima institutione habenda ratio est præcipua, adsuefacient illi, qui nullum scribendi usum ipsi habent, & sine uicijs Grammaticis uix sententiam unam efferre queunt? Quomodo discipulos ad scribendos uersus & alia huiusmodi exercitia nullo modo in Scholis puerilibus negligenda deducent, quorum ipsi prorsus nullum degustarunt? Quos autores enarrabunt, quas artes explicabunt, qui ipsi infantes, improprij, rudes, nullius authoris enarrationem integram audiuerunt, nullius artis fontes & Methodum totam cognouerunt? Tales igitur, cùm diu pueritiæ præfuerunt, aut nihil apud illam effecerunt, quod temporis & sumptuum impendio dignum uideri queat, aut docuerunt cum pudore & dispendio temporis rursus dediscenda, unde multi postea ex auditoribus desperatione & indignatione moti, studia prorsus abijciunt, Sed multò maius periculum est,

ab ijs, qui uix dum informato aliquo in ſtudijs profectu ex Academijs diſcedunt, ſi mox ad Eccleſiaſtica munera euehantur. Hi uerò cùm & ætate ſint feruentiores, & perſuaſione doctrinæ cœlana inflati, & tunc etiam authoritate miniſterij Eccleſiaſtici muniti, qualia ſentent, quàm acerbè de ſemel conceptis ſuis opinionibus dimicent, quàm non facilè alios uſu, ætate, doctrina peritiores audiant, adeò non libet commemorare, ut non ſine acerbiſsimo dolore deplorem, id nos multarum Eccleſiarum turbatione experiri.

Magna ſunt hæc incommoda, quæ dixi Scholis & Eccleſijs afferri ab ijs, qui ex Academijs egreſsi antè, quàm in doctrina confirmati ſunt, mox ad docendos & regendos cœtus adhibentur. Sed maiora adhuc dicenda reſtant. Nam niſi huic malo tempeſtiue remedium inuenient ij, quibus rerum tantarum cuſtodia & conſeruatio mandata eſt, per hanc tumultuariam diſcendi rationem, & immaturam ac præcocem, ut ſic loquar, eruditionem uel δοξοσοφίαν potius, rurſus amittemus & cœleſtis doctrinæ puritatem, & cæterarum artium, linguarum & diſciplinarum lucem. Nam ſi puericia in primis ludis, non ſolùm malè inſtituetur, ſed & hanc opinionem uel exſermonibus, uel exemplis ſuorum præceptorum imbibet, ſufficere breue tempus in Academijs, ad conſequendam tantam eruditionem, quanta acceſſuro ad gubernationem Scholarum, Eccleſiarum, Rerum publicarum ſatis ſit: quotusquiſq; erit, qui cum uituperatione & riſu aliorum feſtinantium, hærere in Scholis uſq; ad ſolidiorem in ſtudijs profectum audebit? Quis aſſiduitatem præſtabit auſcultationis longioris, & lectionis domeſticæ aſsiduæ? Quis exercitationis ſtyli, memoriæ, pronunciationis laborem moleſtiſsimum ſuſcipere omninò aut perferre paulò diutius uolet? Quis ſui temporis aut rei adeò prodigus erit, ut illa impendere diuturnioribus ſtudijs dignetur, ſi perſuaſus ſit, uel leuiſsimam literarum cognitionem, uno, uel ad ſummum alte-

ro anno, obiter tamen & segniter hau-
ſtam, pro ſolida eruditione, ad cuius-
cunq; muneris gubernationem ſuffi-
cere? Hac deinde perſuaſione inua-
leſcente magis augebitur indoctorum
numerus, negligenter neceſſaria in
Scholis exercitia, ac non modò obſcu-
rabuntur artes meritò uocatæ libera-
les, ſed etiam propter ipſam ignoran-
tiam, ut fit, ab indoctis publicè & priua-
tim extenuabuntur, contemnentur &
exagitabuntur, negligentur linguarum
ſtudia, intercidet proprietatis in ſermo-
ne cura, ex quibus rebus obſecro quid
ſi quid aliud poterit, q̃ obſcuratio, & tan-
dem amiſsio huius lucis doctrinæ cœle-
ſtis, quę ſingulari Dei dono hac poſtre-
ma mundi ætate iterum accenſa, hacte-
nus in Eccleſijs harum regionum fulſit?

Cùm igitur hæc præpropera & ni-
mis feſtina diſcendi ratio tantorum
bonorum iacturam pariat, & tantam
malorum ſegetem in Eccleſiam impor-
tet, cauſas illius & cognoſcere & tollere
debebant ij, qui ad rerum gubernacu-
la ſedent.

Duo autem ſunt præcipuè, quæ ſtudiorem in ſtudijs profectum hoc tempore impediunt, Primùm, q̃ ex locupletiorum filijs pauci ſtudijs adhibentur, & ſi qui ad Academias mittuntur, eam ex parentum ſuorum ſermonibus opinionem de diſciplinis his, ſecum illuc afferunt, ut eas aut inutiles ſibi, aut ſuo genere, fortuna, opibus indignas exiſtiment. Certè probroſiſsimum ſibi fore credunt, ſi aut Philoſophiæ, aut linguarum, aut doctrinæ cœleſtis ſtudio ita incumbãt ſerio & aſſiduè, ut eorum uſus aliquis tandem ad gubernationem Scholæ & Eccleſiæ eſſe poſsit. Apud paulò enim pecunioſiores nomẽ Theologi tàm ignominioſum habetur, ut malint ſe quiduis quàm Theologos, aut Philoſophos uocari. Hoc modo fit, ut ij, qui opibus inſtructi, perſeuerare in ſtudijs poterant tàm diu, donec ſolidos fructus eruditionis ſibi compararent, nihil conſequantur eiuſmodi, quod ad conſeruationem & propagationem artium & cœleſtis doctrinę uel leuiter ſaltem conducere poſſet.

Alterum

Duo

Alterum genus est scholasticorum, qui & si discendi cupiditate flagrant, & ingenijs sæpe magis quàm locupletum filij ualent, utpote minus delicijs & licentiore educatione fracti ac debilitati, tamen propter egestatem perdurare in scholis diutius non possunt. Sed uix exiguo aliquo uiatico impetrato à parentibus aut alijs, in Academiam profecti, raptim omnia ac tumultuariè discunt, multitudine lectionum sese onerant, tanquàm non diu doctos lectores audituri, nullam domi eorum, quæ publicè audita sunt, repetitionem, nullam bonorum authorum lectionem priuatam, linguæ discendæ & imitationis causa, instituunt, styli crebrum usum & alia necessaria exercitia, occupati publicis lectionibus, omittere coguntur.

Hæc cum exiguum tempus in Academijs sine magno fructu, & quod nunc à multis fit, sine priuato studiorum inspectore & gubernatore festinanter, & suo iudicio fecerunt, mox destituti sumptibus, ex Academijs discedunt, & qui ex ipsis modestiores, sui profectus tenuitatem agnoscunt, uerecundia absterriti, profiteri literas non audent, & ad quodcunq; genus uitæ aliud transeunt. Alij audaciores mox functiones quærunt, easq; adepti ita gubernant, ut sæpe illa incommoda eueniant, quæ supra enumerata sunt. Atq; ita fit tandem, ut paucissimi ita solida artium doctrina instructi ex Academijs abeant, ut sperare possis, eos ad tuendam possessionem disciplinarum, multum adiumenti allaturos esse.

Decebat autem utriq; malo remedium quærere uiros authoritate & sapientia eminentes, ut & locupletes ciues lege aliqua cogerentur, ut ex liberis idoneos ad discendum, literarum studio serio adhiberent: & ciuitates tenuiorum ciuium filios, quorum ingenia præ ceteris pueris probarẽtur, publicè alerent in Academijs, tam diu, donec artes integre pernouissent, & exercitationum crebritate, ac assiduo usu doctrinam ita confirmassent, ut etiam ætate iam matura, & iudicio melius forma-

formato, maiore cum ſpe fructus adhi-
beri publicis functionibus poſſent. Hoc
patriæ noſtræ ſenatus, te paucisq; alijs
hortantibus, laudabiliter hactenus fecit,
quod ſi aliæ ciuitates imitarentur, ſpes
eſſet, poſſe retineri, & ad poſteros no-
ſtros ſaluam tranſmitti poſſeſsionem
puræ doctrinæ diuinitus patefactæ, &
artium illi coniunctarum. Sed ſi, ut
multæ hactenus potentiſsimæ ciuitates
fecerunt, nihil uolent conſeruandis
bonarum artium, & linguarum Eccle-
ſiæ neceſſariarum ſtudijs impendere,
cùm aulæ quoq; iam minus curent lite-
rarum propagationem, experientur
breui & puericiam ſuam infœliciter in-
ſtitui, & Eccleſias ab indoctis, audaci-
bus, factioſis concionatoribus miſerè
& periculoſè turbari.

Hæc ego fortaſsis intempeſtiuè ad
te ſcribo uirum ſapientem, & hæc pe-
ricula poſteritatis multò perſpicaciſsimè
prouidentem, ſed quia tales præce-
ptorum meorum querelas quotidie
audio, non poſſum non ipſe quoq;,
qualiscunq; ſum, miſeria & metu com-
munium

munium malorum affici, & cohor-
reſco, quoties cogito, qualis confuſio
opinionum & cæcitas ſecutura ſit, ſi
hæc pulcherrima doctrinarum lux ne-
gligentia noſtra pudenda, et deteſtanda
ingratitudine extinguatur. In primis
autem dolendum eſſet, Academias re-
ctè conſtitutas diſsipari, ſicut earum in-
teritum multi cordati uiri non leuibus
moti coniecturis timere incipiunt, &
multi hoc tempore eas partim ſuis ſcri-
ptis ad uulgus, partim ſermonibus
apud Principes & aularum rectores ita
deformant, ut hoc ipſum ſtudioſè quæ-
rere & optare uideantur, ut ſedes pio-
rum ſtudiorum uaſtentur. Hi uniuerſi
quàm præclarè de Eccleſia & poſteri-
tate tota merituri, & quam rationem
Deo autori tantorum munerum red-
dituri ſint, ſi conſcientia diſsipatarum
Scholarum ſe onerauerint, uiderint
ipſi. Me quidem hic metus impulit, ut
omnia Præceptorum meorum ſcripta
publicè propoſita, ſtudioſius, uel etiam
curioſius tranſcriberem & aſſeruarem,
in quibus multas cernebam ſalutares

commo-

commonefactiones de rebus grauiſsimis contineri, quæ cum aliqui mihi hortatores eſſent, ut typis uulgari finerem, quorum authoritatem aſpernari non debebam, facile ſum eis obſecutus, & ſpero has quamuis exiguas miculas ab aliis neglectas, à quibuſdam etiam ſpretas & conculcatas, à me uero collectas, metu penuriæ talium utilium admonitionum, aliquibus doctis gratas fore, cupientibus etiam huius Scholæ quaſi hiſtoriam quandam horum proximorum annorum cognoſcere. Has pagellas ad te mitto, ornatiſsime Patrone, reuerenter orans, ut hoc meum ſtudium in re, ut uidetur, tenui, tuo iudicio, quod ego maximi facio, approbes, & uoluntatem declarandi meam erga te obſeruantiam, boni conſulas. Bene uale. VVitebergæ menſe Auguſto, Anno 1556.

Michael Maius
Noribergenſis.

Scripta

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA A PROFESSORIBVS IN ACADEMIA VVitebergenſi, Ab Anno 1553. & deinceps.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

MAGNVM DECVS EST, *utile hominum uitæ, ars Medica. Et cùm ad artem accedunt in Medico fides, aſſiduitas, morum integritas, talis uir omnium beneuolentia et honore dignus eſt. Ac talem eſſe Iohannem Straub non ſolum hæc ciuitas, ſed etiam uicinia nouit. Quantum Alexander Macedo credidit ſuo Medico, à quo intrepidus in morbo periculoſo pharmacum accepit, quanquàm Medici fides accuſata fuerat: Tantum huic Iohanni Straub tutò credi poteſt, qui quidem ornamenta adiunxit, ueram agnitionem & inuocationem Dei, & uirtutes honeſto patrifamilias conuenientes. Cum pudiciſsima coniuge modeſtè, & ſumma concordia uixit, & liberos piè erudiri curat. Nunc igitur, poſtquàm Deus coniugẽ ipſius ex hac mortali uita euocauit, & ſua cauſa, et propter paruam ſobolem ma-*

lem magno in luctu est. Sed scit homines non casus uiuere, aut ex uita discedere, præsertim pios, ut scriptum est: Omnes capilli capitis uestri numerati sunt. Deo igitur obtemperat, & consolationes diuinitus traditas sibi proponit, quarum hæc præcipua est: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Vera inuocatione Deum coluit matrona Regina (Id enim ipsi nomen fuit) in toto uitæ spacio. Et nunc morbi tempore, erecta fiducia filij Dei, & spe uitæ æternæ, sese, maritum, sobolem, Ecclesiam & patriam assiduis uotis Deo commendauit, his uotis significans & tranquillitatem animi, & initia salutis æternæ in ipsius anima iam accensa esse. Fiet autem funus hodie hora 12. ad quod conuenire Scholasticos pium est, idq; ut faciatis uos adhortor, & ibi singuli sese Deo commendent. Die 30. Iulij, Anno 1552.

DE ECLIPSI SOLIS ANNI M. D. LIII. QVAE ERIT Die 14. Ianuarij mane post horam septimam, Vt germanico more numeramus.

CRas cùm Phœbus equos Eoo cardine ducet
Limen Horizontis iamq; subire uolet.
Aduehet huc Lunam sinuosi cauda Draconis,
Iliaci pueri quam trahit urna modo.
Et soror

Et soror inuoluet cæca caligine Solem,
Ad terram radios nec sinet ire uagos.
Accedunt comites Venus ac Atlantide natus,
Aërijsq; augent sæua uenena plagis.
Horridus hinc sequitur truculento Falcifer ore,
Et spargit longæ semina plura luis.
At cum nos toties moneant cœlestia signa,
Iudicium metuant pectora nostra Dei.
Atq; pijs uotis & supplice uoce petamus,
Vt Pater æternus tristia fata leuet.
AEterni soboles ô Christe & imago Parentis,
Qui Mediatorem uerè agis ante Deum.
Numine propitio clades lenito futuras,
Et tua nos semper dextra benigna tegat.
Inter nos aliquem uerbo tibi collige cœtum,
Cuius sanctifices flamine corda tuo.
Discentumq; greges & nostros protege nidos,
Dum ruit in pœnas mundus ubiq; suas.
Orphana turba sumus, nobis spes unica Christe es,
Noticiam extingui non patiare tui.

Iosias Menius Dantiscanus.

IN PRÆLECTIONEM LIBRI OFFICIORVM Ciceronis.

GAudia diffuso ceu pectore concipit heros
Dulichius, patriæ fama decusq; suæ.

Cum post deuictos hostes, Troiamq; subactam
Languidus ingreditur cognita tecta senex.
Sic ego Gymnasij post multa incommoda nostri,
Lector conspectu, docta iuuenta, tuo.
Iamq; nouem gaudent, ductæ ex Helicone sorores,
Agmina in alueolis quod sua iuncta uident.
Quæ magno studio doctrinæ semina spargunt,
Ingenuasq; artes turba professa docent.
Conscia uicina est regio tristisq; laborum,
Quos Schola conatu præstitit ista suo.
Ergò non mirum si grata mente precamur,
Vt Deus hanc propria protegat ipse manu.
Ne dispergatur bellis pestisq; ueneno,
Hactenus & quibus est ipsa fugata malis.
Fungitur at quia nunc consueto munere Lector
Quilibet, officium persequiturq; suum.
Me promptum impositi ratio quoq; muneris urget,
Prodire in nostræ pulpita docta Scholæ.
Cumq; ego Marcelli partes sim iussus obire,
Qui mihi præceptor qui mihi amicus erat.
Illius ipse sequar studio uestigia, quantum
Ingenij patitur paruula uena mei.
A Latio incipiam scriptum Ciceronе libellum,
Qui nos uirtutes officiumq; docet.
Disputat & quid sit uirtus, rectumq; bonumq;,
Tempore quid quouis conueniatq; loco.
Inde rudis poterit mores formare iuuentus,
Virtutisq; sibi conciliare decus. Omnia

Omnia sub nitido quæ continet æthere mundus,
Exigua tandem sunt peritura mora.
Viribus hæc rigidæ sunt omnia subdita mortis,
Extremo uirtus inclyta fine caret.
Huic cedat census, cedat quoq; nomen auorum,
Cùm uirtus magnos conspicuosq; creet.
Hæc uos inuitet, uos extimuletq; trahatq;,
Qui studijs estis dedita turba pijs.

ET de mutatis formis quæ carmina scripsit
Pelignus uates, grex studiose, legam.

SEd Deus alme tuo qui nutu cuncta gubernas,
Quicq; nequis iustus facta nefanda pati:
Da precor, ut quæ nunc Germania desidet armis,
Queq; fremit bellis pace fruatur humus.
Et rege clementer cœtum tua iussa colentem,
Fama tui ut possit nominis ampla coli.

Georgius Cracouius Pomeranus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBRGENSIS LAVrentius Lindeman Doctor Iuris.

VEtus consuetudo supplicum hæc fuit, sedere ad aram, & puerum filium principis tenere, & ostendere patri, ac obtestari patrem per amorem filij, ut supplici parceret. Hunc morem à

primis parentibus acceptum esse consentaneum est, qui multis politicos ritus uoluerunt esse commonefactiones de diuinis rebus.

Ita nunc pij in multis regionibus in magno dolore sedent ad aras, et supplices orant Deum propter filium, ut seruet Ecclesiam, Et pias familias, coniuges & paruos natos in ea, nec sinat bellis ciuilibus & Turcicis fieri uastationes, & deleri doctrinam et disciplinam. In hoc numero supplicum præcipuè Scholasticos esse oportet, & ueris gemitibus petere à Deo propter filium, ut & seruet Ecclesiam, & seruet ipsos in ea, & abscondat eos, ut Dauid inquit, in tabernaculo suo ad aram.

Sint igitur mores modesti, & non impediant inuocationem & cogitationem de communibus miserijs, & præcipuè Ethnicos ludos omittamus, quos à Lupercalibus et Bacchanalibus uulgi stultitia accepit.

Tanta est autem grauitas in his, qui præsunt militibus, ut hoc mense prohibuerint tales ludos. Quantò magis nostrum ordinem decet modestia, què scimus debere nos adfici dolore Ecclesiæ, & adsiduis uotis nostram & aliorum salutem Deo commendare? Scimus enim concione Amos taxari duriciem & ἀσοργίαν eorum, qui non lugent propter contritionem Ioseph, id est, propter uastationem tribuum, quæ à Ioseph propagatæ erant.

Seuerè

Seuerè igitur prohibemus nocturnas discursationes & uociferationes, ac mandamus, nequis ullo tempore uel inter diu uel noctu personatus in platris uagetur, ac semper prorsus omitti præcipimus ludum tesserarum, qui cum mussitatione exercetur, quæ & per sese indecora est, & hoc tempore propter suspicionem insidiarum uitanda est.

Cogitate, quanto in dolore fuerint pij in Iudæa, cum in ea urbe Ierosolyma, ubi Templum erat ueri Dei, quod in toto genere humano unicum erat, Bacchanalia celebrari uiderent. Ac citò secuta est pœna. Nam mox post Bacchanalia proximo mense deleti sunt Ethnici, & recuperatum est Templum. Omittamus igitur Ethnicos ludos, plenos petulantiæ, & simus modesti, & metuamus pœnas, ac pectora ad inuocationem excusitemus.

Te igitur fili Dei Domine Iesu Christe oramus, ut & colligas tibi perpetuò Ecclesiam inter nos, & nos serues, doceas, gubernes & protegas, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Die 5. Februarij.

LECTORI S. D.

COnfirmemus in animis nostris ueras de Deo, & de prouidentia sententias, cogitationes doctrinæ & inuocatione Dei, ac agnoscamus

eùm alia beneficia Dei, quantum possumus, tùm uerò hoc summum, quòd immensa bonitate colligit inter nos æternam Ecclesiam, propter filium & per eum, nec sinit eam prorsus deleri inter tantos imperiorum tumultus, & in tantis confusionibus rerum humanarum, & sciamus uelle Deum esse cœtum, qui de ipso testimonium in genere humano dicat, & ei obediat. Colligit autem hunc cœtũ uoce doctrinæ, quam quia literis mandari uoluit à Prophetis et Apostolis, uult esse conuentus docentium & discentium, ut legi, & enarrari populo scripta possint. Et ut fontes inspici possint, cognitione linguarum opus est. Et in enarratione adhibenda est ars seu ratio ordine docẽdi, sicut iubet Paulus, ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Ad hæc præparanda sunt ingenia Scholasticis exercitijs, & eadem doctrina sæpè repetenda est, sicut uerè de omnium artium studijs Epictetus monet: εἰδέναι χρὴ ὅλου ῥᾴδιον δόγμα παραγενέσθαι ἀνθρώπῳ, ἐὰν μὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ αὐτὰ καὶ λέγῃ καὶ ἀκούῃ καὶ ἅμα χρῶτο πρὸς τὸν βίον. Itaq; ut & me & alios exerceam, pertexam inchoatam enarrationem locorum Theologicorum, qui hoc consilio scripti sunt, ut summam doctrinæ, quæ est Ecclesiæ propria, ordine & perspicuè recitent, & sint uelut tituli, qui materias indicant, quas continent libri Prophetici & Apostolici, ut fieri solet in prima κατηχήσει. Vt enim sermo

mo Propheticus & Apostolicus intelligatur, necesse est initio uocabula Ecclesiæ propria interpretari, & definitionibus ac diuisionibus illustrare. Tales alii qui libri semper in Ecclesia fuerunt, & optandum esset, talem κατηχήσιν extare, editam pia deliberatione multorum eruditorum. Iudicamus autem in hoc libro consensum harum Ecclesiarum recitari, quem et terribili specie Baltica Gorgon labefactare conatur, tamen uincit ueritas. Et filium Dei, qui quod in agone precatus est, ut faciat æternus Pater, ut unum simus in ipso, idem adhuc precatur, oramus, ut nos doceat, & gubernet, & seruet has Ecclesias, & earum consensum tueatur. Nos quoq; sciamus, hoc officio Deum uelle coli, studijs ueræ doctrinæ, & uelle aliquos esse, qui de ipso testimonium in genere humano dicant, confirmatos uera doctrina. Ad hanc nos militiam cùm uocarit, hos docendi & discendi labores amemus, ut testimonium de Deo dicamus. Melius in hac uita fieri quid potest? Hæc publicè significaui, ut si qui me audire uolent, conueniant in auditorio cras hora quarta.

Tilemanus Heshusius
VVesaliensis.

VICERECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENsis Paulus Eberus.

FAmilia uetus est & honesta in hoc oppido nomine MATTHAEI, quæ labores gubernationis longo iam tempore sustinet, & uirtutem maiorum partim ipsi cognouimus, partim prædicari ab excellenti uiro domino Pontano Doctore Iuris audiuimus, cui cum his fratribus qui adhuc uiuunt, familiaritas longa fuit. Decet autem & uirtute præditis fauere, & ijs, qui labores gubernationis sustinent, gratitudinem præstare. Cùm uerò hac nocte ex hac uita euocata sit honesta matrona, quæ Deum uera pietate coluit, coniunx honesti uiri Basilij Matthæi, hortamur omnes scholasticos, ut hodie hora 4. ad funus ante ædes Basilij Matthæi conueniant, ubi singuli nostram & publicam salutem Deo commendemus, & ostendamus, nos familiæ labores, quos in gubernatione diu iam perferunt, agnoscere. Debetur omnino gratitudo his, qui communi utilitati seruiunt. Datæ die 2. Martij 1553.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi, Martinus Simon Brandenburgensis Lectoribus S. D.

EST uetus antiquis sententia tradita scriptis,
Dedita quam studijs pectora scire decet.

Condi

Condiderit primos Deus hac quòd luce parentes,
Cùm fluerent spacio noxq; diesq; pari.
Iamq; recesserunt annorum millia quinq;,
Quingentis annis lustra sed adde tria.
Et decimum sextum iam nunc Sol inchoat annum,
Phi cæi pecoris lucida signa tenens.
Hocq; die deinceps pura concepit in aluo
AEterni Gnatum uirgo pudica Patris.
Luce salutaris qui uictima factus eadem
Pro nobis soluit debita Λύτρα Patri
Talia multa piæ debent expendere mentes,
Dum redijt sacro lux peragenda die.
Ac ueluti primis mundi seruauit ab annis
Assiduè cœtus conditor ipse suos.
Qui legemq; Dei promissaq; dulcia norunt,
Et mediatorem qui coluere fide:
Sic quoq; postremo deleri tempore mundi
Impius in toto Mars licet orbe uelit:
Nostra tamen, Christo confisi, corda leuemus
Spesq; hominum mentes erigat ista pias.
Agmina discentum nostro quod protegat æuo,
Quæ celebrant uero nomen honore Dei.
Vtq; suos cœtus clementi numine seruet,
Dæmonis & contra uimq; dolosq; tegat,
Assiduo gemitu feruentia uota feramus,
Atq; Dei, crebra uoce rogemus opem.

Gnæ

Gnate Dei, æterni uerbum fulgorq; parentis,
Qui uera à nobis uis pietate coli.
Ne finito lucem doctrinæ tempore nostro
Extingui, ueram noticiamq; tui.
Nos quoq;, quos studijs Deus his præfecit honestis,
Impositi memores muneris esse decet.
Ergò doctrinam nunc explorabimus horum,
Censuram nostram qui subijsse uolent.
Non labor his noster, non officiosa uoluntas
Decrit, ubi dederint nomina more Scholæ.
Hæc modo sit bonitate tua Myrmecia tecta,
O Christe æterni Gnate & imago Patris.

Die 25. Martij, Anno 1553.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MAGISter Martinus Simon.

SCribit Nicephorus anum Elisabeth coniugem Zachariæ cum infante filio Iohanne trans Iordanem fugisse, & fuisse abditam in spelunca montis, cum Herodes iußit interfici infantes in Bethlehem & uicinia. Eo tempore adhuc uixit Zacharias, qui cùm esset Sacerdos, mansit in statione, ablegata familia magno cum dolore. Eo tempore qualis fuerit Ecclesiæ species, considerate. Tyrannus Herodes exercebat manifestam sæuiciam in populo Dei. In templo Dominabantur Pharisæi & Sadducæi. Interea

terea tamen reliquiæ erant Zacharias, Ioseph, Cleophas, Maria, Elisabeth, & alij multi homines, sed spreti et sine imperio, imò aliqui etiam pulsi suis nidulis, & abditi in specubus. Hac nos imagine in huius temporis miserijs consolemur. Quanquam multa pericula sunt in conspectu, tamen certò speremus filium Dei seruaturum esse has Ecclesias, in quibus uocem ueræ doctrinæ sonamus. Erunt aliquæ latebræ Elisabeth & infantuli. Hac spe facimus operas Scholasticas necessarias Ecclesiæ.

Cùm autem hodie in publico examine explorandi sit eruditio eorum, qui nunc testimonium doctrinæ petiuerunt, oramus, ut Doctores & Magistri in auditorium Medicorum hora 12. ueniant. Moueat etiam nos historia Zachariæ, ut libentius conueniamus. Sic consentaneum est Simeonem, Zachariam, Elisabeth, Mariam, & similes, in illis publicis calamitatibus sæpius conuenisse, ut pijs colloquijs leniren-tur dolores, ut dicitur: ἡδύγε φίλων λόγῳ κἂν τοῖς λυπηροῖς.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS LAVrentius Lindeman Iuris Doctor.

ANnus hic est à primo Paschate, quod Israëlita exituri ex Aegypto, celebrarunt, 3062. Tot annos continua serie & seruauit filius

Dei

Dei Ecclesiam suam, & agnoscere ac celebrare eam sua beneficia uoluit. Seruabit etiam deinceps hanc ipsam ob causam, ne in genere humano extinguatur uera ipsius noticia, & inuocatio Dei. Sed proh dolor, ut Sol medio die lucem amisit, & contra naturæ ordinem subitæ tenebræ fuerunt, cum in cruce filius Dei penderet: ita in hac mundi senecta tristes tenebræ erunt in magna parte generis humani. Quis non cohorresçat cogitans, cum filius Dei tàm illustribus testimonijs, reuiuiscens ipse ex morte, & resuscitato magno agmine mortuorum, ostenderit suam doctrinam ueram esse, Cumq; Apostolorum uoce propagata sit ferè in toto orbe, nunc rursus in Asia, Syria, Chaldea, Persia, Aegypto, & maxima parte Africæ penè funditus deletas esse Ecclesias, & deleri sacrificium filij Dei & Resurrectionem. Et in Europa Pontifices et Reges obscurant doctrinam de beneficijs filij Dei, & de uera inuocatione. Reliqua est exigua multitudo in hac horrida Boreæ ora, quæ pulsam ex Asia, Africa, & magna Europæ parte uocem Euangelij sonat. In his reliquijs quanquàm & hæ uariè lacerantur, tamen regnat filius Dei resuscitatus, & ut semper in nobis regnet, assiduis uotis eum oremus, sicut orabant discipuli, qui dixerunt: Mane nobiscum Domine, quia aduesperascit.

Etsi autem quotidie necesse est cogitare pios in inuocatione, quare filius Dei mortuus sit, quare reuixerit, ubi & quomodo regnet, tamen iam in Paschate maiore intentione hæc cogitanda sunt, agendæ gratiæ Deo, quòd hoc modo Ecclesiam æternam colligi uoluit, & petendum, ut uerè in nobis regnet, id est, seruet inter nos ministerium Euangelij, et ipse sit efficax uoce Euangelij in nobis, flectat ad se nostra pectora, seruet & protegat aliquos cœtus inter has mundi ruinas, sanctificet nos Spiritu suo sancto, sit deprecator apud æternum Patrem pro nobis, sit Emmanuel, defensor & seruator noster. Id esse ipsius regnum in hac uita certum sit nobis, nec de eo cogitemus, ut Homerus pingit deos ociosos conuiuia agitantes.

Cùm Paulus ait, traditurum esse regnum Deo Patri, significat collectionem Ecclesiæ in hac uita propriè filij regnum esse, in quo uidelicet uoce Euangelij est efficax, est deprecator, defensor & seruator. Postea tradet regnum æterno Patri, id est, adducet uniuersam Ecclesiam in conspectum eius, ut ipsa diuinitas iam sine ministerio Euangelij, sine interceßione, sine certaminibus coràm in manifesta luce conspiciatur, & sit omnia in omnibus, sese nobis communicans, & suæ sapientiæ & iusticiæ radijs nos complens, & donans æternam uitam & læticiam. His cogitationibus iam fidem, precationem, & gratiarum actionem accendite, & subinde ingeminate in pectoribus uestris hanc uocem: Iam in hac uita

ANNO 1553.

uita regnat inter nos filius Dei, & in nobis efficax est ipsius diuinitas uoce Euangelij. Non exstimes nunc ociosum esse, & tantum post hanc uitam suis quibusdam sodalibus benefacturum esse. Imò nunc stat in conspectu æterni Patris, ubiq; Ecclesiam complexus & protegens, & in manibus suis nos gestans, et hac promißione nos consolans: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Hæc uerißima sunt, & congruunt cum dulcißima promißione, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Sic adfuit Abrahæ, Isaac, Iacob, & Ecclesiæ omnibus temporibus, Et Moisi promittit se præiturum esse populo. Sic & in Psalmo dicitur: Soli posuit tabernaculum in eis, uidelicet, Christo in Ecclesia. Et ipse tanquàm Sponsus procedens de thalamo suo. exultat ut gigas ad currendam uiam suam. Regnat in his, qui eum uera fide inuocant, & restituit in eis uitam & iusticiam, & seruat eos, ac ut gigas depellit frementes diabolos.

Hac confirmati fiducia filij Dei, petamus & expectemus ab ipso, tanquàm à Rege præsenti auxilium. Et hoc officio eum uelle coli sciamus, sicut ipse inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Nec uerò aliter in hac uita ad agnitionem huius Regis perueniri potest, nisi ministerio Euangelij, in quo ipse est summus Sacerdos. Vt igitur extet significatio reuerentiæ in nobis

nobis erga ministerium Euangelij, hortamur omnes auditores omnium doctrinarum in Academia, ut & munus ad Aram offerant, et gratias filio Dei agant, seruanti Ecclesiam inter tantos diabolorum et mundi furores, & petant, ut nos semper doceat, gubernet, & protegat.

Die Paschatos, Anno 1553.

LECTORIBVS. S. D.

DEO iuuante, uixit mecum quatuor & triginta annis meus minister Iohannes, natus ad Neccharum, qui uera pietate Deum coluit, & erga homines iustus, uerax, & officiosus fuit, fuit & castus & castitatis amans. Tempus diei quotidie tribuit mane lectioni Sacræ, & precationi, deinde fouendis & erudiendis meis paruis filijs, & filiabus. Postea operis œconomicis. Comes fuit exiliorum nostrorum omnium belli & luis temporibus, & spectator totius uitæ meæ, laborum & ærummnarum. Nec unquam tempora eum nobis mutarunt, Sed plane talis erat, ut in Sophocleo uersu dicitur:

ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν.

Nihil erat in moribus eius adscitum, arte simulatum, aut fucatum. Sed cum esset assiduus in lectione diuinæ doctrinæ, & in inuocatione Dei, fulgebat in

eo filius Dei sol iusticiæ & ueras uirtutes accendebat. Nec solum propter fidem grata mihi eius familiaritas fuit, sed etiam propter consilium, & in dogmatum controuersijs rectitudinem iudicij. Sæpe me prudenter monuit, interrogatus etiam de controuersijs grauiter iudicabat, diligebat Ecclesiæ coniunctionem, adeò ut nulla ex re maiorem dolorem ceperit tot annis, quàm ex his distractionibus, quæ hoc quinquennio ortæ sunt, quo dolore langue-factus, paulatim factus est imbecillior. Nunc postquàm Deus eum ex hac mortali uita ad societatem cœlestis Ecclesiæ euocauit, (non enim dubito eum in hoc numero esse, de quo dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur,) etsi ipsi migratio ad Academiam filij Dei & beati agminis in cœlo, optatissima fuit, tamen ego magnum uulnus accepi. Nec tantum orbitate mea, sed etiam alijs causis moueor. Sed oro filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis, & resuscitatum, ut semper Ecclesiam sibi in his regionibus colligat, & eam gubernet, nec sinat extingui doctrinæ studia, nec sinat fieri barbaricam uastitatem. Idem uos quoq; precari iustum est, & mei ministri hæc erant quotidiana uota, quæ non fuisse inania certum est. Exuuias eius sepeliemus hodie hora duodecima. Quare adhortamur auditores nostros, ut tunc ad communem precationem in funeris ceremonijs conueniant. Die Ambrosij, Anno 1553.

Philippus Melanthon.

VICERECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

FIlius Dei Dominus noster Iesus Christus inquit ad Martham: EGO SVM RESVRRECTIO ET VITA, Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis, qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Hoc dictum summam consolationem proponit, & portum ostendit quietis & salutis nobis, qui cum ingentibus ærumnis in hac fugaci uita, & cum morte ipsa conflictamur. Eam consolationem firma fide amplecti, & sæpe cogitare debemus. In primis uero in funerum ceremonijs, ubi de fragilitate nostra & miseria generis humani, de ira Dei aduersus peccatum, & pœnis, quæ hærent in hac misera natura propter peccatum, admonemur. Eadem promissione filij Dei Domini nostri Iesu Christi sese in agone suo & tempore morbi erexit uir clarus & honestus, senator huius ciuitatis Laurentius Gesnerus, natus in Franciæ oppido Mellerstad, qui cum Oeconomiam amplam habebat, & uidebat se cum

coniuge relicturum post mortem quinq; liberos, inter quos duæ filiæ sunt, nondum elocatæ, Tamen nullam uel in animum curam, uel in aures sermonem admisit de rebus corporalibus & domesticis, sed toto tempore, quo decubuit, cum mente sibi & sensibus optimè constaret, tantum fuit occupatus in uocatione filij Dei, & commemoratione & auscultatione piarum sententiarum, quæ nobis propter Filium Dei natum ex Maria uirgine, crucifixum pro nobis & resuscitatum, liberationem & æternam salutem promittunt, & clare testatus est, se certam spem habere de resurrectione & uita æterna propter hunc Dominum, qui profitetur se esse resurrectionem & uitam, hoc est, uictorem mortis & instauratorem uitæ, etiam in ipsa morte corporali. Cum igitur in uera agnitione ac inuocatione huius liberatoris Laurentius Gesnerus heri sub tempus concionis eo ipso articulo, cum Ecclesia nostra publicè pro eo preces fecit, decesserit, debemus illi gratulari hanc placidam emigrationem ex hac calamitosa uita, & defuncto hoc officium postremum libenter præstare, ut eius funeri adsimus, qui ante 44. annos membrum huius Academiæ factus, ab eo tempore hîc uixit honestè, liberos piè educauit, & multis benefecit. Decet etiam nos adfici luctu Generi ipsius, docti & honesti uiri M. Martini Simonis Decani Collegij Philosophici, cuius pietas & eruditio uobis nota est. Hortamur igitur Collegas nostros & Scholasticos, ut ad funus ante ædes Gesneri in foro hodie conueniant hora 12. ibiq; suam incolumitatem & communes necessitates Deo pijs uotis commendent. 17. Aprilis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, LAVrentius Lindeman I. V. D

PRæ omnibus mundi temporibus, hi quatraginta dies, quibus filius Dei cum reuixisset ex morte, familiariter uersatus est cum Apostolis, Matre, & alijs amicis, lætissima spectaculæ habuerunt. Hic palàm uiderunt Apostoli, testimonia uenturæ uitæ, & agnouerunt hoc dictum: O Mors ero mors tua. Hic audierunt sapientissimos sermones ipsius filij Dei, & primorum parentum, Adæ, Abel, Seth, Nohæ, Sem, Abrahæ & aliorum, quibus redditam esse uitam corporum, narratio in Euangelijs significat. In hæc testimonia nos quoq; intuentes, sciamus secuturam esse uitam æternam, restare iudicium & Ecclesiæ liberationem. Cogitemus etiam sic & non aliter colligi æternam Ecclesiam, uidelicet uoce Euangelij, qua Filius Dei in hac uita mortali, accendit lucem suam in cordibus. Nemo postea fit hæres uitæ cœlestis, nisi in

hac mortali uita habeat initia fidei & lucis diuinæ. Hæc sæpè iam cogitanda sunt. Et in huius doctrinæ commemoratione, & in filij Dei inuocatione, nunc ex hac mortali uita ad cœlestem consuetudinem enocatus est uir honestus Albertus Berlin, natus in urbe Francorum, quæ à zea frumenti genere, uetus est nomen, nomen habet, qui maluit in Academia quàm in patria uiuere, ac breuiter uigintí annos Lutherum studiosè audiuit, et Deum uera pietate coluit, et suam beneuolentiam erga Scholasticos, cum alijs pijs officijs ostendit, tum uero etiam difficili labore regendæ œconomiæ in collegio. Eorum officiorum memoriam grati conseruemus, & filium Dei oremus, ut semper Ecclesiam inter nos sibi colligat & seruet, & nos in ea doceat & gubernet. Hortamur autem Scholasticos, ut hora duodecima ante iurisconsultorum auditorium conueniant, ad funeris ceremonias, ubi singuli Ecclesiam & sese, pijs precibus Deo commendent. Die 21. Aprilis, Anno 1553.

VICERECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS Paulus Eberus.

HOdierna lectio Euangelij ostendit, in Ecclesia studijs literarum & doctrina opus esse, quia hæc ipsa lectio de maximis rebus concionatur

cionatur, de personarum diuinarum distinctione, & proprietatibus, de iustitia, de peccato, de fide, de dissimilibus iudicijs Ecclesiæ, & sapientiæ humanæ. De his tantis rebus quæ potest fieri explicatio, sine doctrinæ luce? Ac manifestum est, magnas tenebras & fuisse et esse de his ipsis rebus, apud eos, qui non rectè instituti sunt, aut nunc etiam studia doctrinæ negligunt. Cum autem certissimum sit, à filio Dei colligi æternam Ecclesiam, & Ecclesiæ necessaria esse studia literarum, sciamus uere hos docendi & discendi labores filio Dei placere, & hac erecti consolatione, patienter feramus ærumnas huius nostræ militiæ, & petamus & expectemus Scholarum conseruationem. Oremus etiam ipsum filium Dei, ut Rector sit huius nostræ Academiæ, adsit uobis, & cum sit λογος æterni Patris, ipse nos doceat, & dicat suam uocem in pectoribus nostris, & monstret nobis æternum Patrem, & gubernet nos Spiritu sancto, protegat nos, & non sinat dissipari cœtus rectè docentium, & discentium. Cum autem uelit Deus hominum cœtus legibus & magistratibus gubernari, Deo iuuante, cras fiet electio Rectoris Academiæ iuxta nostras Leges. Mandamus igitur Scholasticis, ut cras hora sexta ad publicam renunciationem Rectoris conueniant, quia nosse magistratus suos unum quemque necesse est, & in his congressibus pia precatione

Ecclesia & studia necessaria Ecclesiæ filio Dei Domino nostro Iesu Christo commendanda sunt, & cogitanda uoluntas Dei, ut ordinem politicæ societatis, & disciplinam magis amemus. Datæ pridie Calend. Maij, Anno 1553.

PHILIPPVS MELANTHON SCHOLASTICIS S. D.

MAnifestum est in omnibus uitæ negocijs magnum usum esse non numerationis tantum, sed etiam artis illius, quæ ostendit in magnis aceruis diuidere partes, & numeros numeris accommodare, quæ usitate Arithmetica nominatur. Hæc communis utilitas in uita omnia mediocria ingenia ad huius artis cognitionem & exercitia inuitare debet. Sed cum in sola Ecclesia Dei inde usq; ab initio uera anni ratio & nota fuerit, & semper propagata & conseruata sit, nunc quoq; studiosos doctrinarum & amantes Ecclesiam tangere hæc cura debet, ut hanc pulchram possessionem de Anno retineant. Qualis enim barbaries esset, non scire temporum interualla? Nec leues causæ sunt, propter quas Deus uoluit Annos discerni. Vult sciri initia mundi, Vult considerari, quæ sit prima doctrina, quibus testimonijs edita sit, quando accesserint corruptelæ, quomodo iudicatæ sint, quæ fuerit futura series Monarchiarum, cuius Monarchiæ tempore Christus concionaturus fuerit in carne, quæ sint spacia Annorum mundi usq; ad postremam ætatem de quibus dixit Elias:

Sex millia annorum, erunt anni Mundi,
postea conflagratio.

Duo millia inane
Duo millia lex
Duo millia, dies Messiæ

Et propter peccata nostra, quæ multa sunt, deerunt ex his anni, qui deerunt.

HArum maximarum rerum consideratio nullæ esse, deniq; nulla series historiarum obseruari unquam potuisset aut posset, nisi ratio anni esset. Hoc igitur officium aliqui ingenioſi præstent Ecclesiæ, ut harum artium doctrinam conseruent, quæ ad anni rationem necessariæ sunt. Nec sinant se ab hac optima doctrina abduci ab ijs, qui partim insscitia, partim mera malicia & contra conscientiam optimas artes allatrant. Est autem, ut Plato dixit, Ianua cæterarum artium Arithmetica. Eam artem fœliciter docere potest Iohannes Piscator, monstrata uia breuiore & faciliore in diuisionibus, quàm est usitata. Hic Iohannes cras hora duodecima in Au-

ditorio Medicorum inchoabit libellum, cuius & ipse exempla uendit, quem recens erudite scriptum edidit. Adhortor ergo studiosos, ut eius exercitia cognoscant.

IN LIBELLVM DE ANIMA.

EXemplumq; Dei quisq; est in imagine parua. Verissimè inquit Ethnicus Poëta Manilius. Etsi enim Deus omnibus mundi partibus aliqua uestigia suæ sapientiæ, potentiæ & præsentiæ impressit, sicut pulcherrimus ordo corporum & motuum cœlestium euidens est testimonium, conuincens animos, ut statuant, non casu hanc ornatissimam mundi machinam extitisse, aut seruari, sed ab intelligente natura conditam esse & gubernari: Tamen post doctrinam cœlestem, qua se Deus ipse patefecit, nullum est usquàm illustrius testimonium de Deo quòd sit, & qualis sit, quàm naturæ hominis consideratio, in qua non tantum ordo membrorum, figura, & situs, pulcherrimè ad usus conuenientes accommodatus, monstrat sapientiam & potentiam conditoris, uerum etiam in anima lucent quædam peculiares noticiæ, ostendentes Deum, & raciocinantes, qualem esse eum oporteat. Nam cum statuat mens hominis fieri nullo modo posse, ut causa sit effectu suo deterior: In homine autem sit intellectus & uo-

luntatis libera electio, & in intellectu noticiæ numerorum, figurarum, ordinis, proportionum, decori, uirtutum, firmiter concludit, hæc ipsa bona ingentia, in conditore esse in infinitũ excellentiora. Quid? quòd etiam arcanorum operum in ipsa diuinitate, quibus personæ discernuntur, umbræ aliquæ nostris animis diuinitus impressæ sunt? Mens nostra cogitans format imagines. Et filius Dei uocatur imago, & uerbum æterni Patris, ut sciremus eum cogitando ab æterno Patre gigni. Et Spiritus sanctus agitator, & motor ita describitur, quòd procedat à Patre & à Filio, cuius processionis aliqua similitudo conspicitur in nostris cordibus, unde exeunt Spiritus præbentes uitam & motum corporibus. Hæc quomodo fiant, etsi satis explicare nemo potest, tamen ualde utile est, reuerenter adspicere & admirari Dei bonitatem, qui in hanc hominum naturam eorum bonorum, quæ in ipso sunt summa, radios transfudit, & in homine imaginem suam lucere uoluit. Eam imaginem explicat hæc doctrina, quæ potentias animæ discernit, quam eò magis amare & magnifacere iuuentus debet, quod deducit nos ad agnitionem Dei. Præterea etiam multa dicta scripturæ cœlestis illustrat hæc potentiarum animæ distinctio, quæ sine hac doctrina commodè explicari non possunt. Quare omnino necessaria est huius partis Physicæ cognitio ijs, qui cum fructu uelt

discere

discere ipsi, uel docere alios doctrinam Ecclesiæ uo-
lunt. Accedant aliæ infinitæ utilitates, quas discen-
tibus adfert, qualiscunq; consideratio naturæ ho-
minis. Docet nos de modo gubernationis morum,
dum ostendit, quæ potentiæ, & quomodo flecti ad
moderationem aliquam possint. Compescit & de-
primit innatam nobis superbiam & securitatem,
monstrata nostra imbecillitate, & fragilitate. Ex-
uscitat curam tuendæ ualetudinis, quæ multipliciter lædi potest, si non modus aliquis in uictu, exercitijs, laboribus, uoluptatibus seruetur. Propter has & alias grauissimas causas cum prosit hanc doctrinam, quæ potentias animæ distribuit, & earum organa in corpore monstrat, familiarissimè notam esse iuuentuti: Iussus sum denuo explicare libellum de Anima, quem recens de integro retexuit obseruandus dominus Præceptor noster. Eam explicationem iuuante Deo cras hora 4. post meridiem auspicabor. Deum oro, ut studia necessaria Ecclesiæ conseruet, & nos omnes clementer gubernet. Nonis Maij, Anno 1553.

Paulus Eberus.

DECANVS COLLE
GII THE ACA.

GRatias

GRatias *agimus Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi conditori generis humani, unà cum filio suo coæterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu suo sancto, cùm pro alijs innumerabilibus muneribus, tùm uerò pro hoc summo beneficio, quòd Ecclesiam sibi per filium in genere humano colligit, uoce Euangelij, ut ei suam sapientiam, iusticiam & leticiam in omni æternitate communicet, & cum ardentibus uotis oramus, ut inter nos quoq; semper Ecclesiam colligat, quæ uerè ipsum inuocet & celebret. Necesse est autem electos ad societatem æternæ Ecclesiæ, primum in hac mortali uita audire uocem Euangelij. Nec aliter Ecclesia colligitur. Et ministerij docentium caput & summus Sacerdos est ipse filius Dei, λόγος æterni Patris, qui & conseruat ministerium Euangelicum, & excitat Doctores salutares, sicut scriptum est ad Ephesios, dat dona hominibus, Pastores, & Doctores, & ipse est efficax uoce docentium. Sumit autem ministros ex hoc agmine, quod didicit lectionem Propheticorum & Apostolicorum librorum, & uult esse studia doctrinæ in Ecclesia, quod cum sit certissimum, quia scriptum est, Attende lectioni, consolationi & doctrinæ: foueamus scholasticos cœtus, & amemus studia. Cum igitur ex hac Academia ad Goslariensis Ecclesiæ gubernationem uocatus sit, uir honestus & eruditus Magister Tilema-*

nus Heshusius, & deceat eum adferre testimonium de doctrinæ puritate, & de bonis moribus, publicè id testimonium renunciabitur die Maij sedecimo, in qua renunciatione & gradu Doctoreum Theologiæ ornabitur. Nam & mores honesti & pij sunt, & doctrinam Ecclesiæ Dei rectè didicit, & cum diu alios in hac Academia docuerit, & à nobis auditus sit, ostendit se amplecti incorruptam Euangelij doctrinam, & tueri pium consensum Ecclesiarum in Saxonia, qui in confessione nostra exhibita Imperatori Carolo, Anno 1530. expressus est. Ad hanc renunciationem ut conueniant Doctores, Magistri & Scholastici in hac Academia, petimus, & ut declarent suam beneuolentiam erga nos, qui labores, odia, pericula, & ærumnas propter ministerium sustinemus, & ut significent, se uelle cum hac Ecclesia coniunctos esse, nec delectari distractionibus, & ut nostros gemitus & uota, inuocatione sua adiuuent, & simul cuncti precemur Filium Dei, ut seruet in his regionibus Ecclesiam, & nos omnes & hunc Tilemannum doceat, & gubernet, & faciat nos omnes uasa misericordiæ & organa salutaria, & tribuat harum regionum Ecclesijs piam & æternam concordiam. Verè enim adfirmare possumus, nos maximè optare, & ut consensus sit perpetuus harum Ecclesiarum de doctrina, & ut uoluntates docentium sint coniunctæ

coniunctæ mutua beneuolentia, & uerè unum simus omnes in Deo. Et grauissimæ concionis memores simus, in qua dicitur: ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶ, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ.

Datæ die 14. Maij, Anno 1553.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS MELchior Fendius artis Medicæ Doctor.

MEns æterna Deus, uerax, bona, libera, iusta,
Casta uolens similes nos etiam esse tibi.
Vindicibus flammis tibi quæ contraria deles,
Iusticiæ nam tu regula sola manes.
Corpora quæ mundi uerbo distincta creasti,
Exemplar quod uis ordinis esse boni.
Quodq; tua effigies est, & de lumine lumen,
Quod tribuit nobis noticiamq; tui.
Et fragili indutum pro nobis uictima carne,
Iusticiæ soluit debita λύτρα tuæ.
Perpetuam & uitam fracta ceruice Draconis,
Restituis nobis agnitione sui.
Quodq; tui spargit flammas in pectora flatus,
Pur[illegible] Euangelij uoce sonante tui,
Talia ut in nobis sint casti incendia cordis,
Optimus est qualis Spiritus ipse Dei.

Te precor omnipotens mundiq; hominumq; creator,
Voce tua nobis ô patefacte Deus.
Quamuis iusta, tamen nobis tua parcat ut ira,
Quam Gnati placant uota cruorq; tui.
Perq; ipsum semper nos inter collige cœtum,
In quo sit ueri gloria nota Dei.
Hic sol iusticiæ, nos ut tua simus imago,
Nostra sibi adsimilet pectora luce sua.
Nosq; tuo flatu moneatq; regatq; petentes,
Vrat ut hic mentes ignis amore Dei.
Hæc omnes mecum faciant ardentia uota,
Sicq; petant inter cuncta pericla tegi.
Gratia sed quoniam debetur iusta docenti,
Qui recte monstrat munera summa Dei:
Ergo pastores ut sit reuerentia nota,
Prosit & exemplo nos monuisse rudes.
Quisq; manu casta castas adportet ad aras,
Vt decet, officij debita signa pij.

Anno 1553. In Pentecoste, quæ fuit ab exitu Israëlitarum ex Aegypto Pentecoste 3062.

MAGISTER ANDREAS VVESLINGIVS OMNIBVS huius inclytæ Academiæ Rostochianæ Scholasticis, S. D.

Sum-

SVmme Deus, sapiens, uerax, liberrime, iuste,
Vnus qui triplici numine rebus ades.
Vnanimi meritas tibi uoce & pectore grates
Dicimus, à nato turba redempta tuo:
Quod tua mandari iussisti dogmata scriptis,
Illaq; uis summa sedulitate legi.
Sicut & è numero quondam tua iussa sequentum
Functus Apostolico munere Petrus ait:
Est operæ precium sacros didicisse Prophetas,
Qui de cœlesti scripta dedere Deo,
Namq; ut per densam prælatus euntibus umbram
Nocturno monstrat tempore lychnus iter:
Sermo sacer Vatum sic præbet lumen, oriri
Sol Christus nostris mentibus unde solet.
Scripta sed hæc Solyma nobis sunt tradita lingua,
Caligo in Latijs est odiosa libris.
Ergo grauis causa est, Solymi sermonis ut usum,
Qui diuina cupit noscere dicta, sciat.
His igitur meritò Dux Ian Albertus in oris,
Hoc studium summa cum pietate fouet.
Qui cum Saxonico me nuper ab amne uocarit,
Inclyta Leucoreæ qui rigat arua scholæ:
Aspirante Deo nostrosq; iuuante labores,
Officio fungar sedulus ipse meo.

Incipiam tradere Grammaticen,
Die Mensis Iulij.

SPECIES CONSPECTA IN AERE SVPRA OPPIDVM

Isenberg, situm in montibus, qui Turingiam à regione Mysorum distinguunt, Anno 1553. Mense Iunio in meridie. Duo Serpentes colla mutuò lacerantes, & implicati caudis, & inter Serpentes Crux flammea.

HOc cœlum, & magnus, quo circumfundimur aër,
Indicio produnt sæpe futura suo.
Portentisq; monent, offenso numine Diuum
Post caput vltrices numinis esse manus,
Cur exempla petam veterum, cum tempore nostro
Prodigijs careat nullus in orbe locus?
Vicino species & nuper in aëre visa est,
Non spernenda metus nuncia dira noui.
Vrbs antiqua iacet (Serri vocat incola montem)
Tyrigetum à Mysis separat illa solum.
Ad Zephyri flatus Turingia panditur inde
Solis & Eoos Mysia spectat equos.
Illic, cum nullæ cinxissent æthera nubes,
Et mediæ Titan lucis haberet iter.
Ecce vclubilibus rapidi duo nexibus angues
Aeris obliquas corripuere vias.
Igne micant ambo, rutilant per cerula flammæ,
Fallor, an ille color sanguinolentus erat?

Protinus

Protinus aduersas magno stridore per auras
Orta repentino bella furore mouent.
Implicitisq; trahunt sinuosa volumina caudis,
Tortilis ut nudos implicat Alga pedes.
Mutuaq; alterno laniant ita vulnere terga,
Sollicitus populi concutit ossa pauor.
Adde quod in medio funestos inter hiatus,
Flammea terrificæ fulsit imago crucis.
Credite mortales, horrentia prælia restant,
Horrida pro patria prælia, proq; fide.
At tu summe Pater, cœlum cui seruit & aër,
Quo peragunt motus auspice cuncta suos.
Omnipotens, nulla fati qui lege teneris,
Irrita fac nutu signa tremenda tuo.
Illa quidem fuerint sæui præmuncia luctus,
Sed tua per castas flectitur ira preces.
Si tamen ista petunt meritas discrimina gentes,
Serua reliquias agminis ipse tui.
Nos semper nomenq; tuum laudesq; canemus,
Nam, quodcunq; sumus, numinis omne tui est.

Petrus Lotichius Secundus.

VICERECTOR PAVLVS EBERVS.

VOx est filij Dei, quam sæpe cogitare debemus: Sinite paruulos venire ad me, quia talium est regnum cœlorum, videlicet qui in-

ſerti ſunt Eccleſiæ. Hanc conſolationem de magnâ parte familiarum noſtrarum teneamus, & ſciamus hæc imbecillia agmina & in hac uita filio Dei curæ eſſe, & poſtea donari cœleſtis Eccleſiæ ſocietate, ac immenſam bonitatem Dei gratis mentibus celebremus, quòd & curat hos noſtros greges, & patefecit nobis hanc ſuam uoluntatem, ut nos conſolaretur. Tibi igitur fili Dei Domine Ieſu Chriſte commendamus noſtras familias, tuq; oramus, ut & ipſas & parentes, & nidulos ac Eccleſias clementer protegas. Manifeſtum eſt nos non habere humana præſidia. Quare in defenſione noſtri tua præſentia & conſpicietur & celebrabitur. Hæc cogitanda ſunt cùm ſæpè aliâs, tùm etiam in funeribus. Cùmq; paruus filius honeſti & docti uiri Pauli Longicampiani, qui patrem nomine referebat, hodie mane ex hac uita mortali euocatus ſit, hortamur Scholaſticos, ut hodie hora quarta ad funus conueniant, ante ædes honeſtæ uiduæ matris Pauli Longicampiani. Hanc familiam etiam propter auum uirum doctiſſimum Iohannem Longicampianũ dignam maiore beneuolentia noſtra eſſe iudicemus, quia auus cùm propter Arithmeticen Tonſtallo, cuius extant Arithmetici libri, familiaris fuiſſet, & deinde Capnionis auditor in Græca lingua fuiſſet, & in hac Academia & Mathematum elementa, & linguæ Græcæ initia multos docuit. Scitis autem gratitudinem deberi honeſtarum artium propagatoribus,

toribus, quæ ſunt lumen uitæ humanæ. Datæ die nona Iunij, Anno 1553.

IN PRÆLECTIONEM AENIDOS VIRGILII.

LVcifer Eoïs cras poſt quàm ſurget ab undis,
Septima & adſuetam traxerit hora notam.
Vergilij incipiam clarum doctumq; poëma,
Quod laudem à longa poſteritate tulit.

Georgius Cracouius Pomeranus.

IN ORATIONEM PRO MILONE.

INter reliqua Ciceronis perfectiſſimi Oratoris ſcripta, potiſſimum prædicantur ab eruditis orationes eius magna arte & aureo dicendi flumine contextæ, in quibus non ſolum rerum maieſtas, uerum etiam compoſitionis ſplendor & admirabilis quædam ſententiarum, uerborumq; uberitas & elegantia cernitur, Etſi autem ſingulæ eiuſmodi ſunt, ut delectus penè, quo ad utilitatem, quam lectoribus adferunt, haberi non queat: tamen nos finito iam primo Officiorum libro certo conſilio orationem pro Milone auſpicabimur, quæ lucalentiſſime ſcripta eſt, & grauiſſimas diſputationes ex

 fontibus

fontibus iuris depromptas continet. Dabimus autem operam, ut totius orationis ædificium ita partiamur, & argumenta explicemus, ut auditores compositionis materiam & formam aliquo modo cernant, & quibus iuris fundamentis, Rethoricisq; & συθανολογικοῖς argumentis Milo defendatur, intelligant.

Georgius Cracouius Pomeranus.

IN LECTIONEM METAMORΦOΣEΩN.

MVtatas formas conuersaq; corpora, et ora,
Pelignus magna laude Poëta canit.
Euentus rerũ uarios sub imagine pingit,
Quodq; sit instabilis uita fugaxq;, docet.
Historias narrans facundo carmine monstrat
Rebus in humanis perpetuum esse nihil.
Omnia mutantur, sunt omnia plena ruinis,
Quælibet & certam uix habet hora fidem.
Non paruum quondam certamen, rixa sed ingens,
Inachidi claro cum Phaëtonte fuit.
Sopijt hanc Clymene Phaëtontis candida mater,
Et primo absoluit Naso Poëta libro.
Ordine iam stulti Phaeontis damna sequuntur,
Ad stygias audax qui perit actus aquas.
Taxantur iuuenes ridentes dicta parentum,
Qui parere alijs dedecus esse putant.

Sit

Sit procul à sacris fallax audacia Musis,
A turba Aonidum sit procul iste furor.
Qui temerè Imperij dubias affectat habenas,
Excussus tandem cogitur esse miser.
Quilibet ergo suo fungatur munere cautus,
Viribus & maius non sibi sumat opus.

Geor: Craco: Pomera: 9. Iulij 1553.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS D. Melchior Fendius.

SAepe hoc loco recitatum est Pindaricum dictũ: Facile est cuiuis mouere ciuitatem, sed rursus in tranquillũ sistere, solius Dei est. Mota Germania annos septem, deinceps nunq; quieuit. Nunc maius bellum mouetur, quàm fuit ullum aliquot seculis in Germania. Causæ autem harum calamitatum ueteres & recentes cogitentur. Multi magni furores in Ecclesia diu fuerunt, & his proximis annis stabiliti sunt Regum & Episcoporum sæuicia. Deinde nos, qui profitemur ueram doctrinam, laxatione disciplinæ multa uicia in nobis ipsis, & in populo confirmauimus, securi & temulenti indulgentes priuatis cupiditatibus, certamus ambitione & odijs. Multi audaciſsimè corrumpunt doctrinam, multi palàm fiunt Cyclopici. Crescunt igitur pœnæ. Has ut leniat Deus, flectantur multi ad pœnitentiam & ad

inuocationem Dei. Scitis autem disciplinæ partem esse edictis Rectoris parere. Cumq; quotannis propter incolumitatem uestram prohibeamus natationes in Albi, nunc quoq; eas seuerè prohibemus. Vosq; obtestamur, & ut uitæ uestræ rationem habeatis, & de dolore parentum cogitetis. Circumit Diabolus tanquàm Leo rugiens, ut multos perdat. Huius insidiæ ut uitentur, occasiones quoq; uitandæ sunt.

Nunc etiam hoc significamus, honestum adolescentem Stephanum Laurhas Torgensem heri morbo extinctum esse, qui fuit adfinis uiri doctißimi Magistri Matthæi Blochingeri, sustinentis communes labores in docendo, & gubernatione Academiæ magna fide. Huic adolescenti funus fiet hodie hora 12. ad id ut conueniatis ante ædes M. Matthæi Blochingeri, uos hortamur. Præcipuè uerò in his congreßibus de omnibus periculis cogitandum est, & orandus filius Dei, ut pœnas mitiget. 11. Iulij, Anno 1553.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, D. Melchior Fendius.

IN horribili pœna impius Latro in cruce adhuc scurratur, ita multi in nostro cœtu, nunc cum uideant ardere Germaniam tristißimo bello, men noua petulantiæ exempla ostendunt, cum quidem

quidem uelint perhiberi custodes esse doctrinæ diuinæ, quos decet simul esse disciplinæ custodes, & exempla. Multa oppida incendijs deleta sunt, in quibus multi homines senes, matronæ, grauidæ matres, infantes, & alij flammis absumpti sunt, & in unico oppido Aldorff, cum portis clausis incensum esset, circiter octoginta homines in igne perierunt. Inter hæc horrenda spectacula, uos non expauescitis, cum & cœlum & terra aßiduis prodigijs ostendant, se nobiscum gemere & dolere. Heri multi in foro non solum tumultuati sunt, sed etiam onustum currum latronum more fregerunt. Et multò atrocius est, in medio foro, in oppido, quod est Ecclesiæ hospitium, quàm in syluis latrocinari. Primùm igitur præcipimus, ut sitis modesti, & non turbetis tranquillitatem huius oppidi nocturnis uociferationibus aut concursationibus, aut alijs turbulentis modis. Deinde quia aliqui nostra edicta contemnunt, scitote in foro excubias militum fore, & sancitum esse, ut postquàm excubiæ in aggerem ascenderunt, æqualis sit potestas præhendendi omnes tumultuantes, nec priuilegia excipiant Scholasticos, quæ non sunt data ad confirmandam petulantiam. Quid est indignius quàm hos ipsos, quibus hoc summum beneficium, uidelicet optimæ doctrinæ omnium honestarum artium communicatio tribuitur, hospitium doctrinarum turbare? Cogitate etiam de uestris periculis & de

 diaboli-

diabolicis insidijs. Si qui iratos milites irritarent, causam præberent tumultui, in quo ipsi & alij multi interficerentur. His malis & scandalis, diaboli conantur & Deum & Ecclesiam contumelijs adficere. Quare uos obtestamur propter filium Dei, ut occasiones tantorum malorum uitetis, & præcipimus uobis, ut modesti sitis, & ardentibus uotis petatis leniri publicas & priuatas pœnas, nec uobis ipsis & Reipublicæ attrahatis maiores calamitates, nec cumuletis peccata, ut Deus magis irascatur. Nos paterno animo, ut debemus, hæc præcipimus, & filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum custodem Ecclesiæ oramus, ut propter suam gloriam nos protegat, & regat, sicut & in flamma Babylonica adfuit Israelitis, ut hanc precationem toties repeti auditis:

Te maneat semper seruante Ecclesia Christe,
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.
Tres uelut in flamma testes Babylonide seruas,
Rex ubi præsentem te uidet esse Deum.

Datæ Anno 1553. die 12. Iulij, quo ante annos 1651. natus est Iulius, & quo ante annos 531. mortuus est imperator Henricus Bombergensis, natus ex stirpe Saxonica, qui multis magnis uirtutibus excelluit.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS, D. Melchior Fendius.

QVem non uirtutis egentem
Abstulit atra dies et funere mersit acerbo

Inquit Aeneas de Pallante. Id nunc in hoc publico luctu uerè dici potest de duce Electore Saxoniæ principe Mauricio, quem non uirtutis egentem *abstulit atra dies, & funere mersit acerbo. Fateri enim necesse est, fuisse in eo multas excellentes ingenij dotes, & egregias uirtutes.* Pollebat *enim consilio, & cogitata cum aliqua dignitate eloqui poterat, & in bellis gerendis, in dimicando, in oppugnationibus industria ac solertia uicit etiam senes duces. Nec ignauus erat, sed omnia speculabatur ipse, ac anno proximo cum paucis equitibus, ad Turcicas copias prope accessit, ut quantæ essent, & quæ esset locorum opportunitas, consideraret. Fortitudo uerò in multis pugnis conspecta est, in Gallia & in Pannonia, ubi ante annos aliquot subitò circumuentus à tumba Turcica, acerrime se defendit, aliquot Turcis interfectis, cum in tanto periculo fuit collapso equo, ut hostes fuerint cum oppressuri, qui multo plures erant, nisi unius comitis fide & uirtute repressi essent. Fuit in iurisdictione iustus & sine sæuicia. Et priuati mores placidi &*

modesti

modesti fuerunt. Ingenij bonitas etiam in hac re conspici potuit, quòd doctrinarum studia & magni fecit & munificè fouit. Pietatem etiam erga Deum in hoc postremo agone perspicuè ostendit. Nam hoc biduum, quo victor post pugnam superstes fuit, consumpsit in confessione piæ doctrinæ, & in invocatione filij Dei Domini nostri Iesu Christi, & multa pia mandata dedit. Talis cùm fuerit, præsidio esse & patriæ, & germaniæ aduersus Turcicas irruptiones & in alijs motibus potuisset, si longius uitæ spacium ei concessum esset. Dolemus igitur extinctum esse, & quia tot uirtutibus ornatum principem in ipso ætatis flore immatura morte extingui miserabile est, & quia iustum est, nos amisso Domino lugere. Doleamus etiam patriam & Germaniam tali duce orbatam esse, cuius industria & uirtus ad communem defensionem multùm prodesse potuisset. Afficiamur etiam dolore nobilissimæ coniugis ipsius, et filiæ. Sed quia Deo nos obtemperare necesse est agnoscamus communem infirmitatem, & de causis calamitatum generis humani cogitemus, & oremus filium Dei, ut leniat ærumnas, & seruet inter nos aliquas Ecclesiæ reliquias. Vt autem Dux ipse discesserit ex hac uita his duabus erectus consolationibus, quòd in causa iusta, & necessaria defensione patriæ arma gesserit, & quòd se filio Dei moriens uera inuocatione & fide commendauit: Ita nos quoq; hæc ipsius bona cogi-

tantes, leniamus mœsticiam, & tuentes nostræ pericula priuata & publica, ardentius oremus filium Dei, ut has regiones & nos protegat & gubernet. Celebrabitur etiam memoria uirtutum ipsius ad posteros, & hæc uoluntas defendendæ patriæ honesta fuit, quicunq; fuit exitus. Scitis enim naturæ uocem, quæ in Homeri carmine recitatur: οὐ ὀϊ ἀεικὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης τεθνάμεν. Pro patria magnum decus est profundere uitam. Ac grati hanc uoluntatem celebremus. Quanta enim crudelitas ab hostibus exerceatur, cerni potest in uicinia Norimbergæ, ubi aliquot oppida igni prorsus deleta sunt, & in oppido Aldorff circiter octoginta homines incendio perierunt. Consilium igitur arcendi tàm horrendam uastationem à patria, iustum, pium & necessarium fuit. Nunc uos hortamur, ut pericula publica & priuata consideretis, & mentes ad invocationem Dei excitetis, ac ut mores regatis maiore cura, consideratio humanæ infirmitatis etiam uos moueat. cuius in hoc toto bello multa tristissima exempla uidetis, ut cogitetis uersum: Accidere cuiuis potest quòd cuiquam accidit. Oramus autem filium Dei toto pectore, ut has regiones, & nos omnes protegat & gubernet, Sicut inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Die 16. Iulij, Anno 1553.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS D. Melchior Fendius.

ETsi quotidie cerni possunt omnibus ætatibus exempla humanæ infirmitatis, tamen hoc sexennium magis tragicum fuit, quàm aliquot superiora secula. Bellis & lue multi præstantes homines absumpti sunt, & in bellis uices uariæ fuerunt, ut dicitur: ξὺν θ ἐνυάλιος καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα. Monet autem nos Deus, ut cogitantes infirmitatem nostram, tantum necessaria faciamus, & ab ipso petamus auxilium. Heri extinctus est in ipso ætatis flore præstans ingenio & eruditione Georgius à Cattwitz natus in familia Lusaciæ, cuius est uetusta & celebrata Nobilitas, qui cum doctrinam iuris & iusticiæ disceret, aliquanto pòst usui & ornamento Reipublicæ futurus erat. Et sapiens princeps Marchio Iohannes, qui scit hanc curam principe dignam esse, admouere ad gubernationem homines ingeniosos & colentes iusticiam & alias uirtutes, iam locum in aula ei tribuerat. Sed immatura mors & Georgio uitam, & Reipublicæ uirum utilem eripuit. Quare & ipsius & nostra causa doleamus. Sed quia & uiuens uera pietate Deum coluit, & studiose didicit & amauit Ecclesiæ doctrinam, & nunc in agone quotidie se filio

se filio Dei pia inuocatione commendauit, hanc consolationem teneamus, quæ diuinitus tradita est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, & ipsi gratulemur cœlestis Ecclesiæ lætissimam consuetudinem, & eius exemplo nos ad pietatem exuscitemus. Hortamur autem, ut ad funus eius conueniatis hodie hora duodecima ante ædes, in quibus nunc habitat uir honestus & eruditus Magister Petrus Iudex Cotbusiensis. In his congressibus coniungamus gemitus & uota ad filium Dei, ut seruet inter nos Ecclesiam, & nos gubernet ac protegat, Die 19. Iulij, Anno 1553.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. SEBAstianus VVinshemius, S. D. Lectoribus.

HOc die Mensis Iulij ante annos 375 Fridericus Imperator cognomento Barbarossa, supplex factus est Romano Pontifici, cum quidem iustum bellum Fridericus gessisset. Tantaq; superbia Pontificis fuit, ut collo Imperatoris pedem imponeret, & iuberet acclamari: Super aspidem & Basiliscum ambulabis. Ac interpellanti Imperatori, Non tibi sed Petro, superbius respondit, Et mihi & Petro. Tantam tyrannidem exercuerunt Pontifices,

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI SEBASTIANUS Theodoricus VVinshemius Lectoribus S. D.

VT in aluo matris fœtus mirando modo, quem Deus conditor & instituit & conseruat, foueat, donec in hanc lucem constituto tempore editur: Ita Ecclesia in hac uita quasi circumdata uerbo Dei, ope diuina gestatur & alitur, donec in æternam lucem & conspectum Dei adducetur. Nec scimus, quomodo in tantis tumultibus seruemur. Sed agnoscamus præsentiam filij Dei, & grati eius beneficia celebremus, & ab eo petamus & expectemus auxilium & protectionem. Vt autem fœtus cingitur fasciolis, chorio & alijs: Ita scholæ & docentium operæ sunt uelut fasciolæ Ecclesiam cingentes, quas lacerare humanis furoribus, Ecclesiæ pernitiosum est. Manifestissimum est enim, sic, & non aliter colligi æternam Ecclesiam, uoce doctrinæ, ad quam conseruandam & propagandam opus est multiplici eruditione. Quare omnes homines fauere scholis rectè docentibus debent, ac nos ipsos præcipuè decet modestiam in omni officio præstare, ne ipsi has fasciolas & χόρια laceremus, Ecclesiæ necessaria, quæ in uerbo Dei tanquàm in aluo gestatur. Pertinent autem ad exercitia scholastica

tifices, cum populus ignoraret discrimen inter ministerium Euangelij, & politica imperia. Et hac ipsa potentia abusi sunt Pontifices ad stabilienda idola in Ecclesia. De quib. in Daniele dicitur: Deum Maozim uenerabitur, quem ignorauerunt patres eius, & colet cum auro & argento. Passim adhuc in multis gentibus populus prostratus ad statuas inuocat homines mortuos, ornat statuas auro & argento, neglegit ueram filij Dei inuocationem. Ad refutandos autem tàm tetros errores, & ad illustrandam ueritatem, profecto opus est eruditione. Amemus igitur utilia doctrinarum exercitia, & huius scholasticæ militiæ labores, & ærumnas patienter feramus, Et gubernari ac protegi studia à filio Dei petamus, qui quidem inquit: Quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Cum igitur cras hora prima in publico examine doctrinam aliquot nostrorum auditorum exploraturi simus, petimus, ut Doctores & Magistri ad illa erudita colloquia digna honestis & doctis uiris, amanter accedant. Quid gratius esse potest homini sano collatione iudiciorum & opinionum? & prodest iuniores inuitari exemplis grandiorum, ut & studia & talia colloquia magis ament. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos doceat, gubernet, & protegat, Die Iulij 23. Anno 1553.

DECA-

laſtica exploratio ſtudiorum & teſtimonia publica. Quare & hunc morem tribuendi teſtimonia reti-nemus, & poſtquam nunc explorata eſt eruditio horum, quorum nomina adſcripta ſunt, quia & eruditio eorum laude digna eſt, & mores honeſti ſunt: tribuemus eis publicum teſtimonium, & ornabimus eos gradu Magiſterij Philoſophici die tertio Auguſti, ac filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum ſit λόγ& æterni patris, & proualerit ex fina eius Euangelium, uult eſſe doctrinæ ſtudia, toto pectore oramus, ut hanc Eccleſiam & Academiam, & nos & hos, quorum adſcripta ſunt nomina, ſemper gubernet, & faciat nos & ipſos σκέυη ἐλέους & organa ſalutaria Eccleſiæ, & nobis. Die 30. Iulij Anno 1553.

IN COMPVTVM ECCLESIASTICVM.

VVlt Deus aſpici pulcherrima lumina, Solem & Lunam, & eorum conſiderari circuitus, & curſuum leges. Sic enim inquit: Erunt uobis in ſigna, menſes, dies & annos. Etſi autem in tota hac rerum natura tanquàm theatro multa inſignia nobis ſunt propoſita ſpectacula, quorum contemplatio et ſuauis & utilis eſt, tamen mouea-mur hac uoce diuina, quæ indicat & commendat nobis effectum duorum luminum, ac certo ſtatu-mus anni & menſium rationem cum in Eccleſia, tum in alijs uitæ partibus maximè neceſſariam & utilem eſſe. Neq; enim initium retrò cogitari, neq; exordia religionum, & tempora patefactionum diuinarum diſcerni, neq; mutationes imperiorum diſtingui poſſent, ſublata anni ratione. Deinde quanta caligo in hiſtorijs, quanta confuſio præſentium negotiorum, contractuum, pactorum, iudiciorum, deniq; quanta in toto genere humano barbaries, & confuſum chaos eſſet omnium rerum, ſi nulla extaret annorum & menſium diſtinctio? Harum & aliarum cauſarum cogitatione, animi diſcentium & ad amandam & ad cognoſcendam hanc doctrinam inuitari debent, ac ſingulos pro uiri ſtudia eius doctrinæ iuuare conuenit. Cum igitur à me Hungari & alij ſtudioſi pertiuerint, ut eis explicarem libellum qui inſcribitur computus Eccleſiaſticus, & ciuilem annorum & menſium diſtributionem, quæ uulgo in Calendarijs noſtris extat continet, motus honeſta petitione hac in re mea ſtudia ipſis deeſſe nolui. Decreui autem cras hora duodecima in ædibus Viduæ Iohannis Rhauu priuatim eius libelli explicationem inchoare. Quod publicè ſignificandum duxi, ut ſi qui eſſent, qui ſe illis adiungere cupiant, ſcirent hac in re operam noſtram, & ſtudia ipſis non defutura. 1. Septembris Anno 1553.*

Bartholomeus Laſan-

IN SECVNDVM LIBRVM INSTITVTIONVM.

ABsolui primum librum Institutionum, in quo multa non Iuris solũ scientiæ, sed etiam eloquentiæ, historiarumq; studiosis utilia continentur. Ac, ut spero, conuenientem præsertim incipientibus Methodum secutus sum, ne uel subtilitate nimia, qua, ut inquit I. C. Paulus in L. Si seruum. Parag. Sequitur. ff. de uerborum obligatione, plerunq; periculose erratur, uel molesta prolixitate, qua huius amplissimi nobilissimiq; studij desertores efficit, ac ad dissidentiam agi (imo iudicio) solent, uterer. Deo iuuante igitur proximo die Lunæ aspicabor secundum Librum, qui doctrinam de acquirendis rerum dominijs tradit, siue id genium iure, siue testamento, & ultimæ uoluntatis dispositione uel successione ab intestato fiat. Quantus autem huius doctrinæ in uniuersæ uitæ consuetudine & præcipuè legum cognitione usus sit, hi intelligunt, qui in ciuilium negotiorum administratione uersantur, nec prorsus omnis eruditionis expertes sunt. Turpe est quenquam ignorare, quo iure aut titulo uestem suam aut facultates possideat. Turpius nescire potestatem condendæ ultimæ uoluntatis, & rationem successionis, Cur et quo ordine filius patri, fratri frater, cæteræq; personæ sibi inuicem in hæreditate succedant. Denuq; barbaricum est, non amare eam doctri-

doctrinam, qua res singulorum muniuntur, & contra iniustam uim legitimè defenduntur. Ad quam discendam etiam aliarum artium studiosi conuolare debebant, tametsi nec causas acturi, nec ad subsellia iudicum accessuri sint. Liberalis enim est, & imprimis in ciuili hominum communitate necessaria. Quare si quibus opera nostra, & explicandi Iuris instituta assiduitas non improbatur, his adeundæ domus nostræ copiam facimus, singulisq; in omni officij genere promptissimam paratissimamq; uoluntatem nostram deferimus. Die 10. Septembris, Anno 1553.

Georgius Cracouius Pomeranus.

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS MEDICÆ Melchior Fendius Doctor artis Medicæ S. D. omnibus lecturis has literas.

OMnibus nota est utilitas artis Medicæ, quæ diuinitus monstrata est humano generi, ut adminiculum sit uitæ omni tempore. Matres grauidæ, & deinde puerperæ sæpe iuuantur ope medica. Meminimus honestam matronam, cùm aliquot diebus parturiens, non posset edere fœtum, liberatam esse periculo, & fœliciter enixam, cùm ei datus esset potus, cocto pulegio cum melle & uino. Deinde nati omni

& omnibus ætatibus indigemus auxilijs Medicorum. Hæc qui non agnoſcunt, duriores ſunt Caucaſi & Alpium ſcopulis. Et cùm res ipſa conuincat non ſu-rioſos, ingratiſſimi ſunt, qui pro his beneficijs nec Deo nec hominibus gratitudinem præſtant. Vos au-tem, qui in conſideratione Dei & doctrinarum uer-ſamini, non dubitamus ſæpe cogitare has cauſas, pro-pter quas hæc ars amanda ſit. Primùm, quia uitæ præſidium eſt in tuenda ualetudine, & in depellen-dis morbis, deinde, quia teſtimonium eſt prouiden-tiæ Dei, & bonitatis erga nos. Sic enim condita ſunt medicamenta, ut appareat, conditorem uoluiſſe opem ferre humanæ infirmitati, quia & uim ſanandi rebus indidit, & ſingulis membris ſingulas res attribuit, ut conſiderata arte agnoſcamus ſapientem opificem eſſe, & eum celebremus, & nos ei ſubijciamus, & congruant noſtræ mentes, & noſtri mores ad ipſius ſapientiam & iuſticiam. Ita confirmatur adſenſio de prouidentia in nobis, cùm ordinem in natura, & artem in uarietate remediorũ contemplamur. Gra-tia etiam habenda eſt uiris doctis, qui & hanc phi-loſophiam conſeruant, & ad poſteros transmittunt, & in uſu artis multorum morbis fœliciter meden-tur. Qua in re hoc quoq; conſiderandum eſt, De-um hoc munere præcipuè Eccleſiam ſuam ornaſſe, in qua ſummi Patres et Prophetæ haud dubiè medici fuerunt. Cùm igitur uiris honeſtis et eruditis Iohannĩ

Iohanni à Bert Vueſalienſi, & Magiſtro Sebaſtiano Roder Salueldenſi teſtimonium eruditionis publi-cum tribuere decreuerimus, hortamur omnes omni-um doctrinarum auditores, ut die Septembris 26. ad renunciationem gradus Doctorum in templo arcis conueniant, ubi nobiſcum quoq; filium, Dei do-minum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου πατρὸς, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, cum quo æternus pater deliberans hoc totum mundi opificium, et me-dicamentorum uarietatem condidit, precentur, ut ſeruet harum regionum Eccleſias, & earum hoſpi-tia, & regat noſtra conſilia & noſtras dextras in mediatione, quæ ſic eſt fœlix, cum diuinitus adiuua-mur, nec ſinat deleri honeſtas artes, quæ ſunt lumen uitæ, quo & ad agnitionem Dei mentes noſtræ accen-duntur. Erit autem dies renunciationis gradus, quo-anno 1529. Turcicus tyrannus Solimanus Viennam terribili obſidione inchoata occupare conatus eſt an-te annos 24. Vnde tamen diuinitus repulſus eſt poſt paucos dies, & amiſſa magna parte exercitus fugi-ens redijt in Thraciam. Hoc Dei beneficium, nunc quoq; grati celebremus, et petamus, ut deinceps Ale-maniam protegat, quæ & eſt Eccleſiæ hoſpitiũ Dei beneficio, et ut experimur, ſine defenſione eſt, ac ui-dua, ut Ebræis Almana uiduã ſignificat, ſed Deus eſt pater orphanorũ, & defenſor uiduarũ. Datæ die Sept: 24. Anno 1553.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS MELchior Fendius artis Medicæ Doctor.

QVàm multa habuit hæc breuis æstas tristia spectacula, in quibus Deus ostendit iram suam aduersus nostra peccata, & uocat nos ad conuersionem. Multa oppida & pagi in Francico solo, & in Saxonico, & in eis multi homines incendijs perierunt. Premuntur obsidione adhuc honestæ urbes, quæ sunt Ecclesiæ hospitia. Interfecti sunt quatuor principes, trucidati uiri fortissimi & magni exercitus. Inter hæc spectacula ridet etiam & scurratur Lamyrus. Vidimus autem his diebus & honestæ matronæ parturientis toto quadriduo ingentes cruciatus, quæ profectò fuit imago parturientis Ecclesiæ. Cùm autem illa honesta matrona coniunx uiri honesti Lucæ Zimmermans, Iudicis in hoc oppido, qui fideliter seruit Reipublicæ & nostræ Ecclesiæ, superata labore partus decesserit, hortamur Scholasticos, ut ad funus conueniant hora 12. ante ædes Iudicis, & cùm de cruciatibus parturientis matronæ cogitabunt, simul dolores piorum in Ecclesia parturiente intueantur, & exemplo huius matronæ, quæ in hoc tanto cruciatu se diuinis consolationibus erexit, ut placidè Deo obediret, & se adsiduè fidio Dei commendauit, discamus & ipsi Deo obedire in nostris miserijs, & eum ardentibus uotis inuocemus, ut sit in silentio & spe fortitudo nostra. Die 15. Septembris, Anno 1553.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS. D. Melchior Fendius.

IN congressibus publicis Ecclesiæ hoc biduo præcipuè doctrina de Angelis proponitur, & monemur, ut gratias agamus Deo conditori, quòd excubias piorum & castorum Angelorum nobis adiunxit, et ut precemur, ut semper nos protegat Deus pio & casto agmine Angelorum. Cogitate autem id quod uerissimum est, & hæc ipsa pia & casta agmina Angelorum adesse in his ipsis congressibus, & comitari pios euntes in templa, ubi uox Euangelij incorrupta sonat, & adesse redeuntibus uelut adsiduos custodes. Id enim adfirmat filius Dei inquiens: Angeli eorũ uident faciem patris mei cœlestis. Quare libentius accedite ad conciones, & ibi cogitate doctrinam diuinitus traditam de Angelis, in qua multa sunt digna consideratione, quæ in concionibus aliquo modo explicantur. Ac lætemini uos audire uocem diuinam, in qua discernitur Deus à creaturis, ab Angelis, & alijs, & ostenditur discrimen inter bonos & malos spiritus. Hæc tota sapientia de di-

ſcrimine bonorum & malorum ſpirituum horribiliter Ethnicorum furoribus deleta eſt, qui & Deum & caſtos Angelos contumelia adfecerunt, cum finxerunt eadem numina benefica & ſceleram eſſe. De his horrendis tenebris Ethnicorum cogitatæ, & agnita luce ueræ doctrinæ agite gratias Deo conditori, non ſolum, quòd addit uobis cuſtodes pios & caſtos Angelos, ſed etiam, quòd patefecit in Eccleſia ueram de Angelis doctrinam. Et excuſcitet uos doctrinæ cogitatio, ut bonitatem Dei celebretis, & beneficia, quæ tribuit per caſtos Angelos, agnoſcatis. Labores etiam, curas, & certamina caſtorum Angelorum pro uobis intuemini. Hi aſſiduè dimicant aduerſus diabolos, & depellunt ea à corporibus ueſtris, à congreſſibus ueſtris, à cunis puerorum, à tectis, & cubiculis ueſtris. Hi latrones magnis laboribus caſtorum Angelorum reprimuntur, Sicut expreſſe Pſal: inquit: Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis. Qua in re etiam cogitate, quàm procul abſint à ſuperbia hæ piæ & caſtæ turmæ Angelicæ quas nominat uox diuina λειτουργικὰ πνεύματα.

Hæ excellentes naturæ nobis miſeris ſordidis hominibus adſidua præſtant miniſteria, & quidem in rebus, quæ nobis quidem ſtultis uidentur uiles & indignæ illa excellentia naturæ & uirtutum in

in Angelis, tamen neceſſariæ ſunt uitæ noſtræ in regendis cunabilis noſtris, tectis, & noſtris corporibus. Quanquam autem noſtra infirmitas nõ poteſt exponere magnitudinem harum rerum: tamen excitandæ ſunt mentes ad hanc cogitationem, & Dei beneficia celebranda ſunt, & petenda. Quare & reuerenter ad congreſſus in templo accedite, & ad hanc piam cogitationem & precationem uos excitate, & ut oſtendatis ſignificationem gratitudinis erga miniſterium Euangelicum, ex quo doctrinam de Angelis ueram diſcitis, ſinguli ad aram munera ſua offerant. Hoc officio etiam Angeli delectantur.

Intelligimus etiam hic multos eſſe, qui non dederunt nomina ſua Rectori. Prorſus alienum eſt à ciuili conſuetudine, uelle ſine certis Magiſtratibus inter homines uiuere. Quare hoſpites illi aut nomina dent Rectori, & ſtudia doctrinæ colant, aut prorſus hinc diſcedant. Amant caſti Angeli leges, & ſciunt eſſe ſapientiam Dei, & ſunt cuſtodes politiarum. Horum exemplum nos quoq; imitemur. Studeamus etiam retinere eos in conſuetudine, noſtra modeſtia, & caſtitate, quas uirtutes ualde amant. Datæ in feſto ſanctorum Angelorum, Anno 1553.

Rector

ANNO 1553.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

D. Melchior Fendius.

FIliola bimula doctissimi uiri Magistri Antonij VValtheri, qui recens a gubernatoribus huius Academiæ huc ex Schola Stetinensi propter eruditionem, & pietatem, & industriam accersitus est, ut artium illustrationem & propagationem in hac Academia adiuuaret, in itinere adflicta æstu, & alijs difficultatibus morbum contraxit, quo tandem consumta, heri ad æternam consuetudinem filij Dei ex hac misera uita migrauit, cui hora 12. funus fiet. Etsi autem parentes, ob hunc filiæ charissimæ obitum in magno luctu sunt: tamen sustentant se promissione filij Dei Domini nostri Iesu Christi, dicentis: Sinite paruulos uenire ad me, & nolite eos prohibere, quia talium est regnum cœlorum. Item, Non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis. Decet autem uos quoq; commiseratione piorum parentum adfici, & illis dolorem, quibus possumus officijs lenire, studere. Hortamur igitur Collegas et auditores nostros, ut ad funeris ceremonias conueniant in platea, qua itur ad Granarium, & se ac suos Deo pijs uotis commendent. Die 4. Octobris, Anno 1553.

VICE-

ANNO 1553.

VICERECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

Iohannes Forsterus Theologiæ Doctor.

ARca Nohæ, quæ uehebat Ecclesiam in diluuio ante annos 3859. cum in undis iactata esset tota æstate, primùm hoc die 17. huius mensis consistere cœpit, & quidem in montibus Armeniæ. Vt autem filius Dei præsens hanc suam Argo inter fluctus gubernauerat et seruauerat: ita hyeme tranquillum hospitiũ Argonautis suis præbuit, donec eos in terram in Vere rursus exposuit. In hac ipsa imagine consideremus et tristissimũ exemplũ iræ Dei aduersus peccata hominum, qui simul tantam multitudinem delet, et conseruationem unius exiguæ familiæ, ut cerni posset, diuinitus, non casu seruatam esse. Expauescamus autem cogitatione horrendæ iræ Dei, & nos quoq; in Arcam filij Dei abdamus, petamus ut nos hospitio excipiat, muget pœnas, gubernet & protegat nos, nec deleri sinat pia doctrinæ studia, cùm quidem passim tàm multi exoriantur fanatici doctores, aduersus quos ordine eruditi iuuentutem necesse est. Te igitur fili Dei Domine Iesu Christe oramus, ut nobis quoq; placidam hyemem tribuas, et tu ipse sis rector in hac tua Argo. Quia uerò et diuina sapientia ordinatum est, ut in societate hominum

minum certi homines præsint, nostra suffragatione etiam magistratus eligendus est. Quare præcipimus omnibus auditoribus in hac Academia, ut cras hora 7. ad renunciationem electi Rectoris conueniant. Simul autem admonemus uos, ut de causis politici ordinis rectè cogitetis, & sapientiæ Dei libenter obediatis, qui suo sapientissimo consilio uult aliquos esse Doctores, & gubernatores aliorum, & præcipit obedientiam iuxta dictum Pauli: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et sapienter apud Sophoclem dictum est: ἀναρχίας δὲ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν. Quare propter Deum, & propter communem utilitatem amemus hunc uitæ ordinem, & sciamus pædagogiam esse ad intelligendam antecellentiam, qua Deus antecedit nobis, fouet, & regit nos. Die 17. Octobris anno 1553.

EX Atomis mundum non confluxisse minutis,
Ceu tua uana fides, nos Epicure docet.
Ostendunt pulchri rutilantia lumina cœli,
Et quicquid mundi machina lata tenet.
Siue oculos etenim, rectosq; ad sydera uultus
Tollas, & stellas inde notare uelis:
Cunctarum uideas seu leges ordine rerum
Nascendi, similes quas sine fine tenent:
Cogeris inuitus mentis linguæq; fateri,
Voce Deum ualida cuncta creasse manu.

Insuper

Insuper esse Deum mentem quæ cuncta gubernet,
Et seruet firma, quam modo, lege, dedit.
Nam certos motus, quis sidera cuncta mouentur,
Edere, nec uarios mens bene bruta potest.
Nec certas seruare uices ususq; uidebis,
Quæ cæco casu, uel sine lege ruunt.
Firmiter ut teneris igitur studiosa iuuentus
Aeternum credat mentibus esse Deum.
Qui genus humanum, tenet & quæ machina mundi,
Condiderit, seruet, curet & usq; regat:
Sæpius aspiciat splendentia lumina cœli,
Et certos motus quos teneare notet.
Et discat causas uarijs cur motibus errent,
Cur gressum porro, cur modò retro ferant.
Cur modo festino, modò lento incedere cursu,
Corpora cumq; alijs cur sua iuncta uelint,
Quidq; frequens uarij ferat hæc mutatio motus,
Et tempestates quàm ualidas cieat.
Plinius hæc nobis mira breuitate Secundus,
Cum tradat, dignus qui repetatur, erit.
Ergo iuuante Deo, lux cum iam prima Nouembris,
Surgit, sed medium Sol tenet ipse polum:
Ordiar in nostris perdocta uolumina Caij
Aedibus, & magna sedulitate legam.
Qui cupit hæc igitur facili paruoq; labore,
Discet, nec parua commoditate frui:

Is me

Is me conueniat, mora nec nectatur ab ullo,
Qui studijs rectè consuluisse capit.
Tu modo Christe faue, patris diuina propago,
Aeternique potens nos tua dextra tegat.
Cpprime grassantem crudeli Martè tyrannum,
Qui tuus est hostis perpetuoque manet.
Et tua discentem diuina oracula turbam
Defende, ut fiant plurima grata tibi.

M. Sebastianus Theodorus
VVinshemius.

SEQVVNTVR SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA A DIE LVCAE ANno 1553. per hybernum semestre, quo fuit Rector illustris & generosus dominus, dominus Caspar Vlricus Comes à Reinstein, & dominus in Blankenburg &c. Vicerector uerò clarissimus uir Iohannes Schneidwein Iuris utriusque Doctor.

*

CASPAR

CASPAR PEVCERVS STVDIOSIS AVDITORIBVS S. D.

VVlt Deus hominum uitam doctrina, hoc est, suæ lucis radijs gubernari, ac in lege simul sancit quid in præsentia agendum sit, & futura monstrat, ut mentione præmiorum & pœnarum discernat honestas & turpes actiones, & simul metu pœnarum deterreat homines à sceleribus. Manent enim ueræ ipsius regulæ, Qui gladium acceperit, gladio peribit: Scortatores & adulteros puniet Deus. Hæc futura uult Deus prospici, & firmissima fide uult nos his prædictionibus adsentiri, Atque utinam hanc diuinam μακαριότητα homines magnifacerent, nec Cyclopico furore contemnerent. Nec fallunt euentus, sed fatali ordine sequuntur sine ulla dubitatione atrocia delicta, atroces pœnæ, sicut & in ueteri Poëmate dictum est.

εἰμαρμένον γὰρ τῶν κακῶν βουλευμάτων
κακὰς ἀμοιβὰς ὅσι παρποῦσθαι βροτοῖς

Præterea in Physicis ostendit Deus etiam seriem causarum & effectuum, uult & præsentem corporum naturam aspici, & intelligi, quæ res prosint, quæ nocent. Alitur corpus conueniente cibo & potu, obruitur & læditur rebus non conuenien-

bus & intemperantia. Ita suas habent prædictiones & Medici & alij artifices. Sic & de aëris qualitate, & de hominum temperamentis, inclinationibus & moribus prædictiones sumuntur ex ordine causarum & effectuum diuinitus constituto, cum stellarum positus ad aërem, & ad nascentia corpora confertur, quia esse aliquam uim luminis cœlestis in aëre & nostris corporibus, manifesta experientia ostendit. Etsi igitur non omnes euentus prospici possunt (Non enim omnes à stellis, aut temperamentis oriuntur) Tamen multarum rerum significationes animaduerti possunt. Et utile est singulis, suorum corporum κράσιν & inclinationes nosse, ut arte regantur, aut frenentur. Vtile etiam cauere rapidos motus aliorum. Deniq; prodest uidere consensum cœlestium corporum cum inferioribus.

Quare decreui Deo iuuante enarrare Ptolemæi librum, cui titulus est Quadripartitum, in quo uetus doctrina uerecunde recitatur, ac tribuam ei singulis septimanis unam horam, uidelicet, die Mercurij tertiam. Nec uero hac doctrina ad superstitiones & ad Stoicam necessitatem studiosos abducimus, sed uolumus eos naturæ ordinem considerare, qui est illustre testimonium de prouidentia Dei, Volumus item considerare eos naturæ nostræ infirmitatem, & uarias euentuum causas, ut excitentur ad inuocationem Dei, & ardentibus uotis petant se à Deo

Deo gubernari. Nam fata mouere Deus, tollere fata potest. In hac ipsa causarum collatione agnoscamus & deploremus naturæ nostræ infirmitatem, pericula, & errantes motus, & discamus Deum esse agens liberum, et exaudire inuocantes, ut filius Dei inquit: Orate ut possitis effugere uentura mala. Præcipit autem & Deus in regendis moribus diligentiam, quæ non prorsus inutilis est, sed frenare errantes impetus aliquo modo potest, & in hac lucta Deus opem fert petentibus, ut inquit Dominus: Quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Quò igitur propius aspicis pericula, eò sit inuocatio ardentior. Vetustas narrat uatem Phinea, qui in ueterem Mysiam ex Phœnice intulit doctrinam de motibus cœlestibus, punitum esse propterea, quòd quædam de causis cœlestibus intempestiue protulisset, eoq; missas esse ad eum Harpias, ut tetra illuuie dapes ei corrumperent. Itaq; iubet Phineus ipse in Argonautico, ut uerecundæ sint prædictiones, & petatur à Deo gubernatio, sic enim inquit:

Venturis Deus ostendit prænuncia signa
Cæcis, inuoluens dubijs oracula uerbis.
Vt primum ignaros moueat, nox mentibus ad-
Sollicitis curam metuentibus abdita fari, (dat
Nec quocunq; trahunt adfectus, prona sequantur
Pectora, sed iustæ legum pateantur habenæ,

Et uires hominum discant longe esse minores
Diuinis, metuantq; Deum, qui uindice dextra
Haud dubie humanos properat punire furores.

Annus ueniens habet diros positus stellarum, eum Sol ingredietur Arietem. In nona domo erunt Saturnus, Mars, Venus & Mercurius in Piscibus. Et iacet abiectus Iupiter in opposito signo in domo tertia. Hi positus seditiones & dogmatum confusiones minantur. Simus igitur in omnibus actionibus contentiores & modestiores, & cogitemus ideò filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum adsumsisse massam generis nostri, ut nos quasi de sua ceruice pendentes gestet, ne funditus deleatur genus humanum, ac ueris gemitibus precemur, ut publicas & priuatas pœnas nobis leniat, regat uocem doctrinæ, et non sinat fieri maiores dissipationes. Harum maximarum rerum cogitatio in his lectionibus excitatur. Quare non moueamini Cyclopicis sermonibus eorum, qui doctrinam de motibus & effectibus cœlestibus contemnunt, sed consilium Dei considerate, qui non frustra tanta arte stellarum motus ordinauit, & effectiones aliquas manifesta experientia ostendit. Bene uale Lector,

Anno 1553. uicesimo tertio Octobris,
quo coniuncti fuerunt Iupiter
& Venus.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Dictum est dulcissimum Nazianzeni οὐδὲν οὕτω εὐφραίνει, ὥσπερ τὸ καλὸν συνειδὸς, καὶ ἀγαθαὶ ἐλπίδες. Nihil adeò exhilarat hominem, ut bona conscientia & spes bona. Est autem bona spes, effectus bonæ conscientiæ & fidei acquiescentis in Deo, petentis & expectantis auxilium à Deo. Sæpe autem mœsticia morborum & mortis causa est. Causam igitur mœsticiæ uitemus. Existimamus Michaëlem Fabrum Vuinshemensem mœsticia in morbum incidisse, quo naturæ superata est. Ac perfecto dolore afficimur propter eius mortem, quia erat ingenio sanabili, & spes erat eum aliquanto pòst utiliter seruiturum esse Reipublicæ. Nunc obtemperemus uoluntati Dei, & frenemus impetus uehementiores. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funus hora duodecima conueniant, ubi suam quisq; uitam Deo pijs precibus commendet. Pridie Encæniorum, quæ Ierosolymæ instituta sunt repurgato templo ante annos 1715. Die 24. Nouembris.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS

Multa uidimus tristia spectacula inde usq; à mense Iulio, quorum consideratio nos

ad modestiam & ad precationem inuitare debebat. Interfecti sunt quatuor nobilissimi Principes, & multi uiri fortissimi, captæ & incendijs deletæ urbes, ciues trucidati, matres cum parua sobole in exilia pulsæ, Hæc cùm fiant in uicinia, dolore adfici omnes propter patriæ calamitatem oportebat, & metuere similes pœnas, & flectere animos ad pietatem & ad precationem. Sed multi quasi contagio insanientes, fiunt furiosiores. Fuerunt in hoc oppido præsidia militum amplius septennio. Nullus tamen miles aduersus quenquam in oppido usus est tormentis, ut accidit intra biduum, & quidem petiti sunt, & uulnerati globis nobiles docti, modesti, qui neminem irritauerunt. Fieri autem potest, ut alij inquieti irritauerint milites. Nam & hoc audimus, scholasticos quosdam uagari noctu terribili genere armorum instructos. Ideò seuerè præcipimus omnibus scholasticis, ut sint modesti, & uitent causas & occasiones periculorum, dicti diuini memores: Qui amat periculum, peribit in eo. Ac prohibemus nocturnas discursationes, uociferationes, & armorum gestationes. Cogitent adolescentes, non solum ab hominibus pericula oriri, sed diabolos insidiari uitæ & moliri seditiones, & cædes & alia mala. Incitant igitur organa sua, homines prophanos & impios, ut multis noceant, & turbent communē societatem. Quare simus uigilantiores, sicut Petrus inquit:

Vigilate

Vigilate, quia aduersarius uester diabolus tanquàm Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Et non solum uitemus occasionem rixarum, sed etiam inuocatione filij Dei nos muniamus, qui ideò massam nostri generis adsumpsit, ut nos gestet, quasi de sua ceruice pendentes, & conculcet caput Draconis. Est quædam militia necessaria sapientia, ut Polybius inquit: Nosse hostium genera, sensus, arma: ita consideretis uos quoq;, carissimi adolescentes, quàm habeatis hostes sæuos & astutos diabolos, nec contemnite pericula uestra, Sed diligentia & inuocatione Dei, uos contra crudelitatem & astutiam hostium muniatis. Nos quoq; oramus filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos, & hanc totam Ecclesiam protegat & gubernet. Datæ die 19. Decemb. 1553.

SEQVITVR ANNVS A natali Christi M.D. LIIII.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Isacides nato iam iam moriturus Iudæ,
Fatidico tales prodidit ore sonos.
Non mea posteritas legem sceptrumq; docentis
Amittet natos stirpe ducesq; tua.
Aetherea donec missus de sede Redemptor
Nascetur Siloh sanguine Iuda tuo.

 Reddet

Reddet hic in toto credentibus orbe ſalutem,
Auferet & morti triſtia regna pijs.
Dixerat: extemplo pius intellexit Iudas,
Quem uellet tecta uoce notare pater.
Scilicet æterno Chriſtum qui cum ſit ab æuo,
Virgine erat quondam matre futurus homo.
Eſt etenim Graijs χόϱιον quo dicere SILOH
Lingua Palæſtinæ gentis Ebræa ſolet,
Inuolucrum teneri materno in corpore fœtus,
Quo cinctus cotylis lac ſibi dulce trahit.
Ac ita uirgineum fœtum gens illa ueruſta,
Abſq; uiri genitum ſemine, uoce notat.
Cur autem tali Meßiam ſignat Iacob
Nomine, quæ ratio, quæue figura ſubeſt?
Talis erit miſerum quondam uenturus in orbem,
Talis in humano ſanguine Chriſtus erit.
Squalidus infirmis geſtabitur oßibus infans,
Machina quo rerum tota loquente ſtetit.
Imo flagellatus lignoq; expanſus in alto
Totus pelliculæ more cruentus erit.
Hæc docuiſſe ſuos grandæuum ætate nepotes,
Iſaiden, uocis ſignificata monent.
At quia præcepit Deus hanc Eccleſia uocem,
Vt ſonet eſt noſter diſcere tanta labor.
Nos immerſa malis gens, & caligine mortis,
Preſſaq; peccati pondere turba ſumus.
Nam meriti nuſquàm ratio uenit obuia cuiquam,
Exequi-

Exequitur Legis cum Deus ipſe minas.
Qui tamen humanam miſeratus pectore ſortem,
Hæc te reſtituent pharmaca, dixit Adam.
Splendor & illuſtris ſummi genitoris imago,
Aſſumet maſſam de muliere tuam:
Ipſaq; Satanicos lætalia uulnera morſus,
Diuina, fuſo ſanguine, tollet ope.
Nec non offenſi placabit numinis iram,
Sic ait, atq; ratum uerba habuere fidem.
Induit humanam reuoluto tempore maſſam
Filius excelſi uera propago patris,
Faſcia ſit χόϱιῳ ſimilis, ſic excipit ictus,
Illita uipereo ſpicula felle, graues.
Vincit, & impoſito uictos pede conterit hoſtes,
Parta triumphantis more trophæa locans.
Non etenim eſt fragilis tantum caro Filius ille,
Atq; fluens tabo faſcia cruda putri.
Non eſt panniculus tantum, uermisq; cruentus,
Pollutusq; atro ſanguine, factus homo:
Viuit in aſſumpto, non enarrabile uerbum,
Corpore, ſuſtentat membra caduca λόγος.
Fœdere mirando noſtris ſe filius oris
Conceptum ſalua uirginitate dedit.
Sic uult in nobis amiſſam accendere uitam,
Atq; nouæ lucis dona reperta dare.
Non potuiſſet enim noſtrum durare uel horam,
Te niſi nate Dei uiuificante, genus.

Tu niſi, naturæ nouus inſtaurator ut eſſes,
Conſilio patris miſſus ab axe fores.
Tu niſi uulneribus noſtris medicina fuiſſes,
Spes expectandæ nulla ſalutis erat.
Hic λόγ@ ut nobis ſeſe communicet, afferē
Accepta è patris nuncia læta ſinu.
Ac Euangelij patefacta oracula cœlo.
Amplecti docili pectore quenq; iubet.
Et ſemper præſens diſcentum protegit agmen,
Adiungit ſtudijs quo pia uota ſuis.
Iuſticiaq; ſua Chriſtus nos ueſtit & intus
Adſimulat uerbo pectora noſtra ſuo.
Cum mouet in nobis incendia talia flatu,
Optimus eſt qualis fons Deus ipſe boni.
Et patre placato cœleſtia gaudia nobis
Iuſtifica reddit non moritura fide.
Hæc repetit nobis hodierno Eccleſia feſto,
Qui caſti partus dicitur eſſe dies.
Cum Deus aſtrorum fabricator & ordinis autor,
In cunis tenero uagijt ore puer.
Mens igitur quæ grata Deo ſtudet eſſe ſubinde,
Cogitet ardenti talia mente bona,
Et celebrans pura uenientem è uirgine Chriſtum,
Defenſum curæ ſe petat eſſe Deo.
Oret & ut placida Germania pace fruatur,
Nec noceant ſtudijs impia bella bonis.
Iam quia per uerbum uehitur ſub pectora Chriſtus,
Debita

Debita Doctori quiſq; didactra ferat.
Ac uolumus caſtam ſtudioſos munus ad Aram,
Votaq; ad æthereum ferre modeſta patrem.
Vt noſter cœtus grati det ſigna fauoris,
Exemplo reliquos eruditq; pio.

Die Natali, Anno 1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

ETiam Stephani teſtimonium in agone oſtendit mortem piorum iter eſſe ad dulciſſimam æternæ Eccleſiæ ſocietatem, in qua uiuit filius Dei, & coram oſtendit æternum patrem, & nobis monſtrat admirandam diuinæ & humanæ naturæ copulationem, & exponit cauſas omnium ſuorum operum. Quare Stephani hiſtoria nos hodiè de futura uita commonefaciat. Cum autem hac nocte pia & honeſtiſſima uirgo Sara Spröttin ſoror honeſtiſſimæ coniugis, uiri eruditi & integri Magiſtri Petri Prætorij Cotbuſiani, ex hac uita in confeſſione pia & aſſidua inuocatione filij Dei deceſſerit, non dubitamus, & ipſam dulciſſima conſuetudine cœleſtis Eccleſiæ frui. Fuit enim puella innumero, de quo inquit filius Dei: Non eſt uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis iſtis. Hortamur autem Scholaſticos, ut in nouo uico ante hoſpitium M. Petri Cotbuſiani hora prima ad pium ritum funeris

neris conueniant, ubi singuli suam uitam, & totam Ecclesiam Deo commendent. Profectò enim solis humanis consilijs & præsidijs non possumus uitã & alia necessaria bona retinere. Sed ueríssima uox est diuina: Ipse est uita tua, & longitudo dierum tuorum. Quare nos ei ueris gemínibus commendemus. Die Stephani Anno 1554.

IN PRÆLECTIONEM TERTII ELEMENTORUM Euclidis.

ABsoluimus priores duos libros Elementorũ Euclidis, in quorum explicatione demonstrationum præcipuarum usum ostendimus brevibus quantum id forma ratióq; doctrinæ & tractatio Elementaris tulit. Intelligent autem rei magnitudinem & utilitatem, quæ his continetur libris, studiosi rectius, ubi uel ipsi accommodarint hæc elementa ad illustrandas eis materias, quarum ueritas euidens est, & certitudo solis innixa fultaq; consistit demonstrationibus, uel ingressi in penitiores Mathematum recessus, inde conditis magna uarietate disciplinas atq; absolutas cognouerint, quarum ne gustum quidem percipient unquàm, nisi his fontibus prælibatis. Sequitur liber Tertius, quo autor, ut in prioribus schemata rectis definita lineis declarauit,

declarauit, sic eadem serie, scilicet quam rei natura præscribit & exigit, perfectissimæ inter planas omnes figuræ ἰδιότητας exponit ac demonstrat, Circuli nimirum, qui uno incluſus ac circumscriptus ambitu, totus uergit in sese, seq; ipsum continet, neq; inæquale asperumue aut angulis incisum uel in anfractus contortum quicquàm habet. Fundamenta sciant studiosi tradi in hoc libro, ac demonstrari doctrinæ Sphericæ. Quæ sese ratione, quibus in locis, qua forma angulorum uel secent uel contingant circuli exterius interiúsue: Quæ rectæ lineæ si à puncto extra circulum producantur, uel intra ambitum cadant, uel eundem forinsecus ceu stringant: si uero intra circuli ambitũ utroq; termino peripheriæ applicentur aut educantur ex centro, quæ maximæ, quæ minimæ, quæ inter se sint æquales: Quales efforment ac complectantur angulos: Quæ sit inter se ratio arcuum, quos anguli æquales siue ad centra constituantur æqualium circulorum, siue ad ambitum, uel æquales rectæ lineæ obeunt ac subtendunt: Quæ item sit ratio inter se angulorum & segmentorum, quæ secantes & contingentes lineæ, uel includunt uel abscindunt: Quæ sit ratio angulorum inter se ad centra & ambitus consistentium, quæq; sunt istiusmodi. Latissimè hæc patent, Hinc nata doctrina subtensarum in circulo rectarum linearum, & prima initia doctrinæ de triangulis sphæricis.

ſphæricis. Hinc Theodoſij ſphærica extructa ſunt. Nec ſe quiſquam aut hæc aut Ptolemaica aſſequutu-rum arbitretur, niſi elementis tertij huius libri com-prehenſis & exercitatis. Quare ſtudioſos hortor, ut in hoc libro diſcendo eam adhibeant diligentiam, quam præſtiterunt hactenus. Ordiar proxima die Lunæ. Hodie pergam in Τετραβίβλῳ Ptolæmei.

Die Stephani anno 1554.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia VVitebergenſi Matthæus Plochinger VVitebergenſis, omnibus ſtudioſis S. D.

CHriſtus Ephratæa cũ naſcitur hoſpes in urbe
Virgine, cuius bonos non temerauit erat.
Non habet hoſpitũ quod late ſplendeat auro
Nec ſubit Attalicis tecta ſuperba bonis.
Non in præſepi recubans in frigore brumæ,
E ſtipulis factum deſpicit ipſe thorum.
Inſuper auxilijs deſerta puerpera uirgo
Omnibus, è ſolo pendet amore Dei,
Maturumq; utero, non ullis uſa miniſtris,
Deponit caſti nobile uentris onus,
Editus ergo tener genitricis molliter aluo,
Rebus eget, iuſtis præſidijsq; puer.
Aduolat angelicæ ſed ſedula turba cateruæ,

Atq;

Atq; miniſterium gaudet obire pium,
Officijsq; ſuis, cum caſta Maria recenti
Laſſa fores partu, te recreare ſtudet.
Hic lapidum ex uenis carbones decutit, unde
Attritu chalybis mox noua flamma micat.
At torres alius raptim ſarmentaq; parua
Colligit, accenſo dans alimenta rogo.
Porrigit hic liquida fragilem cum pultæ patellam,
Et cape quam calidus percoquat ignis, ait.
Ille uolans labrum flammis apponit abenum,
Plenaq; ſpumantis pocula miſcet aquæ.
Tum quoq; faſciolas alios ſuper igne uideres
Linæa cum pannis alba, fouere ſuis.
Ille bipenne ſecat frondes, finditq; minutis
Partibus, hic hauſtis balnea curat aquis.
Pars apte puero lectum componere certat,
Vt recubent molli membra tenella thoro,
Plurima pars pueri rapit oſcula dulcia Chriſti,
Illius & cunas officioſa mouet.
Dum capit exiguum mater deſeſſa ſoporem,
Siccaq; iucunda membra quiete rigat:
Talia perficiunt intus ſua munera læto
Pectore cœleſtes, agmina pura, Chori.
Nec labor eſt ullus, quem ſe ſubiiſſe grauentur,
Qua poſſunt puero gratificantur ope.
At foris inuigilat uacuis pars altera tectis,
Excubias Chriſto non ſimulanter agens.

Præſidi-

Præsidiumq; locet, custodibus omnia cingit,
Ne qua timenda grauis fraus sit ab hoste grauis.
Neue uel absumat Vulcani insana potestas
Tegmen, ut iniecto corruat igne domus.
Vel subitus torto delapsus ab aere turbo,
Exiguos laceret dissipiatq; lares.
Credibile est etiam fremuisse per æthera Martem,
Angelico furias ui superante choro.
Interea reliquus candenti in lumine cœtus,
Grata Deo melica carmina uoce canit.
Gloria summa Deus tibi sit, pax aurea terris,
Humanum recrent gaudia uera genus.
Iam nunc tempus adest, celebris cum gloria fiet,
Temporibus nullis emorituta, Dei.
Crescet honos, meliorq; focis cadet hostia sacris,
Nempe Dei agnitio uera, piiq; preces.
Nunc etiam terris pietatis alumna redibit,
Quæ nomen placidæ nobile pacis habet.
Cordaq; lætitiam mortalia rursus habebunt,
Anxia quæ uarijs antè fuere modis.
Vt quodcunq; uigens alitur uitalibus auris,
Aeternis celebret laudibus omne DEVM.
Sic ipsi uerum diuino carmine cultum,
Et quis honor deceat numina casta, docent.
Nos quoq; mortales illorum exempla secuti,
Edamus simili pectore dulce melos.
Si studeamus enim recte proponere plebi,

Et

Et fidis animis uerba docere Dei.
Gloria uera Deo dabitur, tum nota per orbem
Vox erit, ac humiles audiet ille preces.
Sed pax terrenis iterum regnabit in oris,
Consensus quoties relligionis erit.
Communem quoties seruabit alacq; quietem
Quilibet officij pro ratione sui.
Gaudia spirabunt mortalia pectora, quando
Admissis ueniam lapsibus esse scient.
Quod sit ubi uerbum solatia nunciat ægris
Mentibus, ac intus gaudia uera mouet.
Tunc turbata, nouo recreantur pectora motu,
Vt iusto æthereum numen honore colant.
Talia quo fiant, doctrinam haurire necesse est,
Ac λογῳ his studijs ipse fauere solet.
Quapropter fieri studiorum examina prodest,
Vtilitas illis non mediocris inest.
Dent igitur nobis solito sua nomina more,
Censuram nostram qui subijsse uolent.
Non his officium nostrum, seu iusta uoluntas
Deerit, ingenijs semper aperta bonis.
At tu gnate Dei, patriæ concedito pacem,
Et studijs adsis, quod facis, usq; faue.
Tempora repressa felicia Marte reducas,
Germinet ut sanctum semen in orbe tibi.

Anno 1554.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI MATTHAEus Plochinger VVitebergensis.

HOdie memoria conuersionis Pauli celebratur, quæ ad agnitionem filij Dei uocatus est, in cuius Historiæ recordatione intueantur mentes omnia Ecclesiæ tempora, & Deo gratias agant, quod se patefecit, & testimonia addidit, & æternam Ecclesiam colligit, & celebremus Deum nominatim propter Pauli uocationem, cuius monumentis adhuc nos docet. Eò etiam doctrinæ studia magis amemus, quia eos ipsa ostendit, sine literis & sine eruditione non posse intelligi grauissimas Paulî disputationes. Extant enarrationes Thomæ, & similium in Paulum, in quibus quia neque ordinem rerum, neq; genus sermonis intellexerunt, sepe hoc accidit, quod in prouerbio dicitur: ἕτερα μὲν ὁ πρῦς, ἕτερα δὲ ὁ ξυθμὸς λέγει. Ex talium interpretum insciția tenebræ in Ecclesia ortæ sunt, post tenebras pœnæ secutæ sunt, dissidia, bella, uastationes. Harum maximarum calamitatum partem cum sentiamus, redeundum est ad Deum, & petenda mitigatio. Sic autem redibimus ad Deum, si ueritas nobis præluceat, si rectè discemus integram doctrinam de Deo. Prosunt autem studijs exercitia Scholastica, si recte gubernentur. Ideò petimus, ut hodie hora

hora prima ad publicum examen Collegæ nostri omnes, & alij uiri docti conueniant, ut studia inspiciant, ξωὴ γὰρ χρεὼ, ξωοὶ δ' ἐτε μῦθοι ἔασιν. Pertinet ad communem salutem recta institutio. Ideo multi consilia conferant. Et nullum est pulchrius spectaculum, quàm cernere uirorum doctorum congressus, placide & amanter quærentium ueritatem collatione iudiciorum & sententiarum. Simul autem his congressibus misceamus pia uota, & petamus à filio Dei, ut semper Ecclesiam in his regionibus colligat, & regat ac adiuuet docentium studia, quia uerissimum est, sapientiam salutarem, donum Dei esse. Datæ die festo conuersionis Pauli 1554.

DECANVS COLLEGII THEOLOGICI IOHANNES Bugenhagen Pomeranus Theologiæ Doctor, Pastor Ecclesiæ VVitebergensis.

NVlla unquàm in cœlo & in terra uox ardentior audita est, quàm precatio filij Dei in Agone, qua orat æternum patrem, ut colligat Ecclesiam, & petit, ut sanctificet eam uerbo suo. Propter hos inenarrabiles filij Dei gemitus sciamus, & colligi, & seruari Ecclesiam, ac uelle Deum, ut grati hanc precationem adsiduè

cogitemus. Stat coram æterno patre hic noster sum-
mus sacerdos, de quo dictum est: Tu es sacerdos in
æternum, secundum ordinem Melchizedeck & pro
te ipso precatur, & petit ea dilectione te diligi, qua
ipse diligitur. Quid petere maius potest? Huius ueræ
intercessionis fiducia credamus nos Deo curæ esse, et
ei obediamus, & petamus, et expectemus ab ipso au-
xilium. Cùm autem uelit nos uerbo Dei sanctificari,
simul præcipit, ut doctrinam, quam tradidit, piè
discamus. Hanc ob causam instituta sunt docentium
& discentium collegia. Et filius Dei, immensa boni-
tate in Ecclesiarum nostrarum Academijs lucem do-
ctrinæ restituit. Hanc ne sinat extingui, toto eum
pectore oro. Vos quoq; assidua precatione & dili-
gentia discendi retinere hoc tantum beneficium stu-
dete. Et ut ostendatis studium uestrum erga eos, qui
rectè docent, cras hora 8. in templo arcis ad renun-
ciationem testimonij publici conuenite, in qua gradus
Doctorum Theologiæ decernetur uiro Reuerendo
eruditione & uirtute præstanti Magistro Henrico
Sthenio Mundero, uocato ad gubernationem Eccle-
siarum in ditione Illustrissimi Principis Erici Ducis
Brunsuicēsis. Scitis enim graues causas esse, cur testi-
monij renunciatio publicè fiat, quia semper in Eccle-
sia fuit Δοκιμασία, & hanc esse publicā, utile est,
ne furtim in Ecclesias irrepant inexplorati, tales,
quales in carmine describuntur: λαβράγοραι τε
ματαιο-

ματαιολόγοι τε ταραξινοοίτε. Simul autem in hac
frequentia uota coniungenda sunt, ut Deus seruet
Ecclesias, & hunc uocatum ad ministeriū gubernet.
Et hic publicè oro filium Dei Dominum nostrum
Iesum Christum, sedentem ad dextram æterni patris,
ac dantem dona, Pastores & Doctores, ut hunc
Henricum Schenium gubernet, & faciat eum or-
ganum salutare uniuersæ Ecclesiæ, patriæ, & suæ
animæ, Amen. Anno 1554. Die 28. Ianuarij, quo
ante annos 740. Carolus primus Imperator saluta-
ris ex hac mortali uita decessit.

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS.

ETsi dixit Plato philosophiam esse medita-
tionem mortis, tamen Philosophia nec ueras
causas monstrat, nec præparationem animo-
rum ad hanc migrationem, nec consolationes ueras:
Sed in sola Ecclesia filius Dei & causas, & consola-
tiones efficaces tradidit, quæ in his dictis compre-
henduntur: Beati mortui qui in Domino moriun-
tur. Item, Preciosa est mors sanctorum. Obtempe-
remus igitur uoluntati Dei, & hac nos uera conso-
latione erigamus, quia inuocantibus filium Dei,
mors est iter ad dulcissimam cœlestis Ecclesiæ con-
suetudinem. Hac erectus consolatione in pia inuo-
catione filij Dei hac nocte decessit uir honestus &

 eruditus

eruditus Aemylius Hugo natus in inclyta urbe Fry-
ſiæ Embda, qui Eccleſiæ Dei utiliter ſeruiunt in do-
cenda iuuentute. Nunc uerò multas Academias adijt,
ut eruditorum iudicia audiret, ſciens talem peregri-
nationem utilem eſſe bonis mentibus, ſicut in ueteri
uerſu Heracliti dicitur: πολλὰ μαθήσιος ἀνὴρ
μάθοι ἐρεμνὰ ἐόν λόον. Funus ei fiet hora duo-
decima. Ad id conueniant ſtudioſi ante noſtrum No-
σοκομεῖον, & ſingulis publicam & ſuam ſalutem
Deo pijs uotis commendent. Calend. Feb. 1554.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

VT anchoris duabus nauis ſtabilitur inter ſæ-
uas tempeſtates: ita nos in tantis periculis
noſtris in hac imbecillitate naturæ, & inter
inſidias diaboli, muniamus nos duabus rebus, dili-
gentia & precatione. Poteſt enim ratio imperare
externis membris. Et hanc diligentiam flagitat De-
us, cùm dicitur: Lex eſt pædagogus. Item, Lex eſt
bona legitimè utenti. Ac Magiſtratus officium eſt,
hanc uoluntatem Dei exponere populo. Sæpe igitur
præcipimus de modeſtia, ac Deo uos obedire uolu-
mus, admonemus etiam ſanabiles de precatione. Vt
autem ſimus uigilantiores omnes, pericula noſtra
cogitemus. Diaboli, qui ſunt homicidæ, aſſiduè inſi-
diantur

diantur Eccleſiæ, odio filij Dei. Et in hac extrema
mundi ſenecta, cùm uident, non procul abeſſe iudi-
cium. in quo ipſorum turpitudo manifeſta erit om-
nibus rabioſius graſſantur. Ac natura per ſeſe im-
becilla eſt, & mali ſiderum poſitus, magis langue-
faciunt eam. In tantis periculis magis ad illas duas
anchoras reſpiciamus, & uigilanter uitemus occaſi-
ones lapſuum & periculorum, & petamus, ut filius
Dei nos gubernet & protegat. Vt autem magis
uitentur occaſiones tumultuum, repetimus uſitata
edicta, ac ſeuerè prohibemus geſtari arma, prohibe-
mus & prouocationes ad pugnas. Item uociferatio-
nes nocturnas. Item diſcurſationes perſonatorum
nocte ſeu die. Item cùm alios indecores ludos, tùm
uerò nominatim ludum, qui à muſſitatione nomen
habet, & eo ipſo mimus decet honeſtos, quia dulcium
colloquiorum cauſa homines conueniunt, non ut
muti ineptos geſtus edant, & muſſitatio ipſa inſidias
ſignificat. Et illa κωφὰ πρόσωπα poſtea in plate-
is non ſunt muta, ſed ut in Orgijs Bacchi, horrendis
clamoribus cient pugnas. Hoc edictum propoſui-
mus, ut noſtrum officium faceremus, & moderatis
gratam eſſe noſtram commonefactionem, non dubi-
tamus. Contumaces uerò experientur & magiſtra-
tuum ſeueritatem & iudicium Dei, qui uerè eſt fons
& cuſtos ordinis & iuſticiæ. Date die 4. Februarij
Anno 1554.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi, Mattheus Plechinger VVitebergensis.

VTinam sæpe multumq; cogitaremus admirandum consilium Dei, de copulatione duarum naturarum in filio λόγῳ. Nisi enim decretum fuisset, ut massam humanam filius assumeret, funditus interitura erat hominum natura. Nunc illa nostri generis massa assumpta, nos quoq; uelut surculos sibi insertos gestat, sicut ipse inquit: Ego sum uitis, uos palmites. Loquitur autem de suo cœtu, qui docet & discit ueram Euangelij doctrinam, quam seuerissimè præcipit propagari. Hanc consolationem intueamur, & certò statuamus, nos quo pio studio seruimus Ecclesiæ in propagatione doctrinæ, curæ esse filio Dei, & tegi aduersus uariæ agmina hostium, contra diabolos, & eorum organa tyrannos & fanaticos Spiritus & contra Barbaricam colluuiem inimicam literis, legibus, artibus, & disciplinæ. Hac erecti spe ipso filio Dei iuuante operas Scholasticas facimus, ut iuuentus linguas sacrorum librorum discat, & artes, quæ utiles sunt Ecclesiæ & uitæ communi, & oramus Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos faciat sibi palmites, & gubernet nos, Nostrum opus ut laudi seruiat omne Dei. Tribuemus autem publicum testimonium triginta honestis & doctis uiris, quorum nomina infra adscripta sunt, ac decernetur eis gradus magisterij Philosophici die 15. Februarij. Ad eius testimonij renunciationem petimus ut omnes Doctores, Magistri & auditores conueniant, & ut ostendant se linguarum & Philosophiæ studijs fauere, et ut sua uota cum nostris coniungant, ac nobiscum petant, ut filius Dei clementer in nostro cœtu etiam æternam Ecclesiam colligat, gubernet doctrinæ uocem, & protegat hoc hospitium, & hos nidulos docentium & discentium. Die 11. Februarij Anno 1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

INsitæ sunt parentum pectoribus storgai erga natos, ut sint commonefactrices de amore Dei erga filium & erga nos. Transfudit enim in nos radios sapientiæ suæ & motus tales, quales in ipso sunt. Et sensus est acrior nostri amoris in rebus aduersis eorum, qui ex nobis nati sunt. Fuit igitur ingens dolor in matre Heua, cum uidit necem Abel: In matre uirgine Maria, cum uidit pendentem filium in cruce: In Cananæa matre, quæ uidit filiam lacerari à Diabolo. Hos parentum dolores sæpe cogitari prodest, ut singuli & caueant magis, ne do-

ne dolores adferant parentibus, et adficiantur alio-
rum vulneribus. Scitis autem heri honestum iuue-
nem Israëlem Haß Dresdensem, specianæ mæstissima
matre & fratribus, ex hac nostra Academia in cœ-
lestem euocatum esse. Huius honestæ matronæ &
filiorum pietate, & luctu, ut adfici uos ostenda-
tis, hortamur, ut ad funus hodie hora duodecimæ
conueniatis, non procul ab ædibus honesti uiri Mat-
thiæ Carpophori. Etsi autem magno in dolore sunt
mater, & fratres, & lugere pium est: tamen hac
consolatione erigendi sunt, quòd in hoc Israële sem-
per fuit mens pia, amans doctrinæ de Deo, & re-
cte inuocans Deum in agnitione & fiducia Do-
mini nostri Iesu Christi, & nunc in morbo sæpe re-
petita pia confessione & inuocatione, sese filio Dei
commendauit. Quare in numero eorum est, de
quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino mori-
untur. Cum igitur sciat mater, & uiuere Israëlem
in cœlesti Ecclesia, & breui se ibi cum rursus com-
plexuram esse summa cum lætitia, hac se consolatio-
ne sustentet, ac sciat præcipere Deum, ut do-
lori repugnemus, & obediamus ipsi in rebus secun-
dis & aduersis. Singuli etiam in his congressi-
bus, suam uitam Deo commendent. Cumq; hoc die
uicesimo secundo Februarij, ante annos octo, Reue-
rendi uiri Martini Lutheri corpus hîc sepultum
sit,

sit recordatio horribilium motuum, qui eius mor-
tem secuti sunt toto hoc octennio, curam in singu-
lis augeat, & in precatione, et in gubernatione mo-
rum. Petamus leniri pœnas publicas & priuatas,
& seruari Ecclesiam, & nos ipsos protegi & gu-
bernari. Vitemus etiam periculorum occasiones,
& ut precatio sit ardentior, mores sint modesti, ac
mentes considerent, quantum ubiq; sit periculorum
& tristium exemplorum. Audiuistis in lectione
Euangelica proximæ Dominicæ, quantus in matre
Cananæa dolor fuerit, quanta in inuocatione con-
stantia, quàm gratum sit officium Deo pia inuoca-
tio. Et hæc facta & scripta sunt, ut in nobis quo-
que fides & precatio confirmentur. Huius igitur
dulcissimi exempli cogitatione uos ad inuocationem,
& alia pia officia excitate. Anno 1554. Die
22. Februarij.

PRECATIO REGIS IO
SAPHAT CAP. XX. LIBRO SE-
cundo Paralipomenon, Cum nescimus quid agendum
sit, oculi nostri, ad te Deus attolluntur
Reddita carmine Ioachimi Ca-
merarij.

IN tenebris nostræ & densa caligine mentis,
Cum nihil est toto pectore consilij,
Turban erigimus Deus ad te lumina cordis,
Nostra tuamq; fides solius orat opem.
Tu rege consilijs actus pater optime nostros,
Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ.

DE VAGIENTE ECCLESIA.

AEterni de mente patris sapientia nata,
In qua mundi operum fulsit idea noui.
Et quæ distinxit pulcherrima corpora rerũ,
Et iussit formas singula habere suas:
Hæc eadem in paruis uagit sapientia cunis,
Naturæ nostræ membra tenella gerens.
Sic quanquàm infundit se nostra in pectora, nobis
Nondum se totam cernere posse dedit.
Vt tamen in nobis sint tantæ exordia lucis,
Tanquàm uagitus dogmata prima sonat.
Non spernis quanquàm infirmos, si debita credant
Te λύτρα pro nobis Christe dedisse patri.
Ah precor infirmis adsis ut mentibus, atq;
Doctrinæ foueas semina sparsa tuæ.
Dum tua se totam pandet sapientia nobis,
Atq; patrem clara luce uidere dabit.
Quando mortali soluentur carcere mentes,
Et duce te cœli culmina celsa petent.

Christe

Christe tuo exulibus patriam tu sanguine reddis,
Nulla uenit nobis te nisi dante salus.

Philippus Melanthon 1554.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

ANnus hic est à primo Paschate, quod Israëlitæ exituri ex Aegypto celebrarunt, 3063. Tot annos continua serie & seruauit filius Dei Ecclesiam suam, & agnoscere ac celebrare eam sua beneficia uoluit. Seruabit etiam deinceps hanc ipsam ob causam, ne in genere humano extinguatur uera ipsius noticia, et inuocatio Dei. Sed proh dolor, ut Sol medio die lucem amisit, & contra naturæ ordinem subitæ tenebræ fuerunt, cum in cruce filius Dei penderet: ita in hac mundi senecta tristes tenebræ erunt in magna parte generis humani, ut uidemus in magna parte Asiæ & in tota Africa, atq; Aegypto deletas esse Ecclesias, & in magnæ Europæ parte Pontifices & Reges horrenda pertinacia stabiliunt idola. Recens etiam in Germania Bauarici Episcopi noua Edicta sanguine scripta proposuerunt, & cum uideant ardere uicinam ingenti bello, ipsi insuper crudelitatem in ciues exercent. Quis non cohorrescat hæc tristissima spectacula, & has confusiones generis humani intuens?

Reliquæ

Reliqua est autem exigua multitudo in hac horrida Boreæ ora, quæ pulsam ex Asia, Africa, & magnæ Europæ parte uocem Euangelij sonat. In his reliquijs quanquàm & hæ uariè lacerantur: tamen regnat filius Dei resuscitatus, & ut semper in nobis regnet, adsiduis uotis eum oremus, sicut orabant discipuli, qui dixerunt: Mane nobiscum Domine, quia aduesperauit.

Certissimum est autem, tantùm in ijs agminibus mansuras esse Ecclesiæ electæ reliquias, ubi uox sonabit Euangelij incorrupta, quæ sine doctrinæ stu dijs conseruari non potest. Tunc adest Ecclesiæ filius Dei qui est λόγος, cùm leguntur, audiuntur & piè cogitantur sermones eius, sicut ipse inquit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus & mansionem apud eum faciemus. Quicunq; autem hæc studia abijciunt, ab his discedit filius Dei, et amisso hoc custode sequuntur multi tetri furores, et horribilia exempla impiorum omnibus temporibus ostendunt, & minitatur Deus apud Hoseam: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filorum tuorum et ego. Plus quàm ferreum pectus est, quod hac tristissima commination e non mouetur. Quare & docendi & discendi labores faciamus, & adiungamus inuocationem, ut filius Dei nos

regat & adiuuet. Et sciamus, uoce Euangelij non aliter, colligi æternam Ecclesiam, & quidem in hac mortali uita oportere accendi initia uitæ æternæ, Sicut Paulus inquit: Superinducmur, si tamen non nudi reperiemur. Et cùm inquit Paulus, Tradet regnum DEO & patri, significat collectionem Ecclesiæ in hac uita propriè filij regnum esse, in quo uidelicet uoce Euangelij est efficax, est deprecator, defensor & seruator. Postea tradet regnum æterno patri, id est, adducet uniuersam Ecclesiam in conspectum eius, ut ipsa diuina maiestas iam sine ministerio Euangelij in luce manifesta conspiciatur, nec luctetur fides cùm dubitationibus, ac tùm sit DEVS omnia in omnibus, sese nobis communicans, & suæ sapientiæ & iusticiæ radijs nos complens, & donans æternam uitam ac lætitiam. Aget igitur tunc omnia in omnibus beatis, id est, non impedietur imbecillitate nostra, ut in hac mortali uita, etiamsi scintillæ lucis accensæ sunt, tamen adhuc simul multum est fordium.

Cùm igitur in Paschate necesse sit de regno Christi cogitare, non existimemus eum sic regnare, ut alicubi ociosus fruatur tantum sua tranquillitate. Procul ex animis eijciamus has prophanas imaginationes, & uerè agnoscamus ideò missum esse filium ad Ecclesiam initio, ut ex arcano sinu æterni patris uocem

uocem Euangelij proferret, & colligat Ecclesiam, ideoq; decretum esse factum, ut indueret massam nostri generis, ut nos uelut surculos sibi insertos gestaret, & adsumpta iam massa nostræ naturæ, & resuscitata, testaretur se nobis simul redditurum esse uitam, iusticiam, & lætitiam æternam. Ac stare iam in arcano consilio Dei hunc Mediatorem Deum & hominem, ac pro nobis omnibus intercedere, & simul nobis adesse, & colligere & seruare æternam Ecclesiam, nos defendere, & uelut manibus suis gestare, Sicut ipse inquit: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Et ad se nos accersit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et in Psalmo dicitur: Soli posuit tabernaculum in eis, uidelicet Christo in Ecclesia. Et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo, exultat ut gigas ad currendum uiam suam, adest his, qui eum uera fide inuocant, & restituit in eis uitam & iusticiam, & seruat eos, ac ut Gigas depellit frementes diabolos.

Vult autem filius Dei hoc se officio coli, uult agnosci se uerè adesse Ecclesiæ, & exaudire & iuuare inuocantes. Ideo tones ait: Petite & accipietis. Hoc igitur officium præstemus, non ut mulieres cogitemus ungendum esse tanquàm mortuum, Sed ab eo uiuente & regnante petamus & expectemus auxilium

auxilium. Hæc uota nequaquàm irrita erunt. Nec uerò aliter in hac uita ad agnitionem huius Regis peruenire potest, nisi ministerio Euangelij, in quo ipse est summus Sacerdos. Vt igitur extet significatio reuerentiæ in nobis erga ministerium Euangelij, hortamur omnes auditores omnium doctrinarum in Academia, ut & munus ad Aram offerant, & gratias agant filio Dei seruanti Ecclesiam inter tantos diabolorum furores, & petant, ut nos semper doceat, gubernet, & protegat. Die Paschatos, Anno 1554. Die 25. Martij, quo ante annos 1555. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus in utero uirginis conceptus est. Et quo ante annos 1520. uictima fuit in cruce. Et quo Adam creatus esse ante annos 5516. scribitur.

DECANVS COLLEGII IVRECONSVLTORVM Dominus Ioachimus à Beust, Iuris utriusq; Doctor.

ETsi confusio, quæ nunc est in imperijs, & indies maior, acerba uideatur, multos terret, ut aut discendi laborem abijciant, aut certè segnius, & minore cum spe fructus operas suas faciant, præsertim in hoc nostro genere studiorum, cuius usus nullus esse inter arma potest, ubi, ut Poëta inquit, Mensura iuris uis est: tamen decet eos, qui

turis studio sese dediderunt, non solum iusticiam colere, sed etiam fortitudinem adiungere, ut constanter inchoatas operas urgeant, & spem certam concipiant, fore, ut cum Ecclesia mansura sit usq; ad finem mundi, etiam aliquæ politiæ conseruentur diuinitus, quæ locũ honestum sint præbituræ ijs, qui legum cognitione instructi, ad gubernationem idonei sunt. Neq; enim nauis gubernaculo & nauclero destituta salua esse, nec ciuitas ulla durare diu potest, quæ legum uinculis & peritis gubernatoribus careret. Quare freti promissione Filij Dei, qui discessurus à suis Discipulis inquit: Ero uobiscum usq; ad consummationẽ seculi, firmiter statuamus, Deum & Ecclesiæ reliquias aliquas seruaturum, & illis alicubi hospitia præbiturum in politijs, quæ legum, iudiciorum, & disciplinæ neruis munitæ sunt. Non igitur deerit Iureconsultis honestus locus. Semper autem consuetudo fuit, nõ quosuis prouehere ad gubernationis fastigium, sed eos tantum, quorum eruditio prius explorata, & fide dignorum hominum testimonio approbata fuit. Quare & nos hunc utilissimum morem seruantes, cras Deo iuuante, quod faustum sit, honestissimo ordini Doctorum in utroq; iure inferemus doctrina & uirtute præstantem uirum Magistrum Leonhartum Iostelium, natum honesto loco in ciuitate Dresdensi, ac rogamus omnium professionum Doctores & auditores, ut ad re-

ad renunciationem nostri testimonij in templo Arcis adiuncto conueniant, simul ut sua frequentia testentur, se honori huius Magistri Leonharti fauere, & disciplinæ ac legum amantes esse, quarum rerum custodia Iureconsultis commendata est: simul ut nobiscum Deum orent, ut politias et hospitia Ecclesiarum, & neruos societatis ciuilis, leges, iudicia, magistratus, disciplinam, utilia studia, tueantur ipsi, in hac hominum imbecillitate, & Diabolorum furoribus, & fragilem cymbam, quæ uehit Christum, & gregem collectum ipsius uoce, regat & in tranquillum portum perducat. Die 28. Martij Anno 1554.

IN TERTIVM LIbrum Institutionum.

AMplissima est ea Iuris doctrina, quæ de gradibus cognationum, & successionibus differit. Cum enim omnes ea lege nascamur, ut ex hoc humanæ societatis hospitio uel spectantibus parentibus & liberis nostris, uel iisdem præmortuis, ad aliud longè melius & sanctius consortium rebus omnibus relictis migremus, posteros & hæredes ordine quodam rationi & æquitati consentaneo in bonis eorum, qui uitæ cursu defuncti sunt, succedere sapientes legum latores uoluerunt. Barbaries enim est, cum sine legibus in facultates alienas

inuolare cuilibet licet. Nec Tyrannidis suspicione uacat, cum fiscus seu magistratus proximiores hæredes & cognatos prætextu aliquo à successione arcet. Recte igitur nosse doctrinam successionum non exiguum ingenij decus est, & in fori consuetudine eximium fructum parit. Quare cum in gratiam studiosorum, duos priores institutionum libros absoluerim, auspicabor proxima die Mercurij in meis ædibus hora 4. tertium librum, qui continet materiam successionum ab intestato. Quòd si ea hora minus commoda auditoribus uidebitur, de mutatione deliberabimus.

Georgius Cracouius Pomeranus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

DEcessit heri uesperi ex hac ærumnosa uita in cœlestem Scholam, uir pius & eruditus Iohannes Crauuinckel natus in VVestphalia, patre honesto, Pastore Ecclesiæ, educatus ferè Lubeci, ubi cum eluxisset ingenij eius fœlicitas & morum probitas, uir clarissimus & prudentissimus Dominus Hermanus à Dorn Senator Lubecensis ciuitatis, recepit eum in suam familiam, eiq; filium Hermanum instituendum commisit, in qua familia honestissima fermè decenniũ uixit cum summa laude modestiæ

modestiæ, integritatis, castitatis, fidei & diligentiæ in omni genere officij, & filijfamilias studia ita rexit ac prouexit, ut pater eum cum filio huc in Academiam missum, non aliter quàm filium liberalissimè aluerit iam fermè triennium, & diutius aliturus fuisset, nisi immatura mors ipsum hinc abripuisset cum magno multorum luctu, & in primis discipuli Hermanni, qui hunc Iohannem Crauuinckel, non tantum ut Pædagogum reueritus est, sed ut fratrem etiam dilexit, idq; suis erga eum officijs in hoc morbo declarauit. Reuocauit autem huius Iohannis obitus nobis in memoriam acerbissimum luctum, quem accepimus ante biennium ferè circa hoc ipsum tempus ex morte doctissimi Iuuenis Hieronymi Schröderi Lubecensis, cum quo multa fuerunt huic Iohanni communia. Nam & ipse quoq; morum sanctitate, & innocentia uitæ insignis erat, & in studio bonarum artium & trium linguarum, ita laudabiliter profecerat, ut haud dubiè potuerit usui esse Ecclesiæ, & ornamento ciuitati Lubecensi, cui seruire aliquando ob accepta ibi beneficia decreuerat, si diutius uixisset. Etsi igitur ipsi Iohanni gratulamur hunc tam placidum ex hac miserrima uita exitum ad æternam Dei & beatorum consuetudinem, quam ardentissimis uotis expetiuit toto tempore morbi, ubi se & suam matrem miseram uiduam pia inuocatione Deo semper commendauit:

Tamen dolemus Ecclesiam & Rempublicam talibus ingenijs priuari, & metuimus omen, cum cernimus tales iuuenes ante tempus extingui, qui propter ingenij præstantiam, eruditionem, & uirtutem potuissent magnis muneribus cum plurimorum utilitate præfici. Hortamur autem Scholasticos nostros, ut ad funeris Ceremoniam, quæ fiet hodie hora 12. conueniant in cœmiterio prope ædes Magistri Pauli Eberi, & illo suo officio testentur se cum Ecclesia & nobiscum dolere ob talium hominum immaturam migrationem, & singuli suam uitam in tanta hac fragilitate naturæ humanæ Deo commendent, & eundem orent, ut lucem doctrinæ in harum regionum Ecclesijs conseruet, & ut propagari possit, etiam aliqua bona ingenia excitet, & tueatur Scholas & earum hospitia. Die 7. Aprilis 1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

VVlt Deus agmen Scholasticum partem esse Ecclesiæ suæ, quia studia doctrinæ necessaria sunt Ecclesiæ, & patefecit se Deus edita sua uoce, quam uoluit literis mandari. Et semper adest ipse filius Dei λόγος sermoni suo in Ecclesia. Speramus igitur multos esse in cœtu Scholastico huius oppidi, recte Deum inuocantes, & ut Paulus inquit, salutari militia retinentes fidem & bonam conscientiam.

tiam. Hos hortamur, ut propter gloriam Dei & propter Ecclesiæ gemitus ament modestiam in omnibus actionibus. Sed alij quidam dissimiles bonis petulantiam exercent, interdiu iaculantur Bombardis: Vagantur & noctu, & uarijs tumultibus quietem ciuium, mulierum, & ægrotantium turbant, & audimus quosdam spargere fomites incendiorum. Hanc totam petulantiam seuerissimè prohibemus. Nec dubium est, diaboli organa esse hos, qui incendiorum fomites spargunt. Nam cupiditas nocendi hospitibus, & magnæ multitudini hominum pauperum, & mulierum & infantum, prorsus diabolica est. Aduersus tales furores, ut defendat nos filius Dei Dominus noster Iesus Christus custos Ecclesiæ suæ, precamur. Iusta seueritate etiam puniemus illa organa diaboli, quorum manibus talia scelera fiunt. Videmus calamitates publicas crescere. Harum consideratione singulos fieri modestiores oportebat, & precatione leuire pœnas, sicut præcipit Christus: Orate, ut possitis effugere uenientia mala. Vt autem mentes compositæ sint ad seriam precationem, modestia opus est. Die 15, Aprilis 1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HOnesta & uetus familia est Matthæorum in [illegible] oppido, ex qua meminimus Gregorium Matthæi multos annos consulē fuisse, cuius fuit excellēs prudē

tia & uirtus, & in gubernatione urbis uigilantia, fi-
des, & aßiduitas insignis. Eoq; maior erat eius er-
ga Academiam beneuolentia, quia ipse mediocriter
didicerat ius ciuile, & senex magno studio legebat
Ecclesiæ doctrinam. Vt autem in Cyro, Scipione,
Augusto, Marco Antonino, Duce Saxoniæ Fride-
rico, præcipue grata fuit hæc uirtus, quod placidi
fuerunt, & iram frenarunt: Ita in hoc Gregorio
Matthæo, Consule, singularis erat iræ moderatio
& animi quietus. Quare & diligebatur, & mul-
tas offensiones animi moderatione sanauit. Huius
Gregorij Matthæi consulis honestißima coniunx,
mater sex filiorum & totidem filiarum, postquàm
longo morbo confecta est, in quo adsidue Eccle-
siam & sese, & suos filios & filias, & hanc suam
patriam, piis precibus filio Dei commendauit, beri
inter uota & recitationes diuinarum promißionũ ex
hac uita mortali, ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinẽ
euocata est. Hortamur igitur Doctores, Magistros
& Scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie horæ
3. ante ipsius ædes conueniant, & suam quisq; ui-
tam & Ecclesiam Deo commendet, & consideratio
præsentium calamitatum, quæ per totam Germaniam
uagantur, & impendentium periculorum excus-
citet nos ad petendum auxilium à Deo. Recens non
procul à VVirceburgo scaturigo sanguinis erupit
è terra, quæ latè fluxit tribus horis. Et alia prodi-
gia

gia multa pœnas minitantur, quas ut mitiget filius
Dei, ardentibus uotis petamus. Die 24. Aprilis
1554.

EPITAPHIVM D. BE-
NEDICTI PAVLI.

FRigida in hoc tumulo Benedicti mẽbra tegun-
Cognomen Pauli, qui patrium tenuit. (tur,
Doctor erat Iuris, uirtute ornatus & arte,
Eloquio clarus, consilio atq; fide.
Saxoniæ Ducibus sententia sæpe probata est
Ipsius, & patriæ profuit ille suæ.
Iustificaq; fide, quoniam te Christe colebat,
Conspectu fruitur mens modo læta Dei.

P. M.

DECANVS COLLE-
GII IVRISCONSVLTORVM DO-
ctor Michael Teuber.

SAepe auditis uera encomia disciplinæ, ac le-
gum, quarum tamen dignitas tanta est, ut om-
nes laudes facile superent, siue originem ea-
rum spectet quis, siue utilitates, quas humano generi
afferunt, attentius consideret. Certum est enim le-
ges recte constitutas & cum iure naturali congruen-
tes, reuera esse radium diuinæ sapientiæ immensæ

bonitate à Deo transfusum in hominum mentes, simul ut esset ceu speculum, indicans quod sit Deus, & qualis sit, & ut esset norma morum, consiliorum, & actionum omnium in communi uita. Hoc cum uerissimum sit, harum etiam legum Romanarum quas profitemur, non Solonem esse authorem, aut Romulum, aut Decemuiros, aut Imperatores, quibus usitatæ solet inuentio & conscriptio Romanarum Legum attribui, sed ipsum Deum fontem omnis sapientiæ statuamus, quæ cogitatio amorem disciplinæ, & reuerentiam erga has ipsas leges, & earum custodes, in naturis moderatis accendet, & alet, & inuitabit aliquos, ut maiore studio doctrinam legum cognoscere contendant, cum hoc persuasissimum habebunt, quòd uniuersa antiquitas etiam extra Ecclesiam pro certo credidit & affirmauit, leges esse donum Dei, & conseruari diuinitus, earumq; contemptores & uiolatores, etiam cum è magistratuum, hoc est, hominum manibus elapsi sunt, tamen mirandis occasionibus haud dubiè diuinitus ad pœnas retrahi solere. Deinde certum est, leges præcipuum esse neruum societatis politicæ, sine qua homines uiuere nullo modo queunt. Hæ enim omnes cœtus publicos, priuatos, paruos, magnos, imò singulos quoq; homines muniunt, & aduersus uiolentiam & iniustam fraudem res tuas, famam,

famam, uitam, coniugem, liberos, ciuitatem, patriam, tuta & secura reddunt, quibus rebus suauissimis & carissimis quoties frueris, toties legum dignitatem & necessitatem agnoscere, & Dei hoc tantum beneficium & præsidium summum uitæ huius corporalis, grata mente celebrare, & omnibus officijs tueri, & adiuuare debes. Inter ea officia etiam hoc à nobis requiritur, ut studijs eorum faueamus, qui se legum doctrina instruunt, ut hæc ipsa bona, supra enumerata, sua sapientia, consilijs, & authoritate publicè priuatimq; salua & integra nobis præstent, & communem Reipublicæ gubernationem adiuuent. Horum enim merita cum sint maxima, decet nos uicissim etiam reuerentiam & studia nostra erga illos omni genere officiorum libenter declarare. Ex eorum numero est etiam uir clarissimus dominus Paulus Gusebeius Longiampianus, natus in hoc oppido, cuius studia & industria cum publicè & priuatim explorata sint, & eruditio multis alijs egregijs ingenij & animi dotibus ornata, à toto Collegio nostro sit iudicata dignissima publico testimonio: Oramus, ut professores & auditores huius Academiæ ad renunciationem gradus Doctorum in utroq; iure, qui huic Paulo cras Deo iuuante in templo Arcis conferetur, frequentes conueniant, & sua præsentia testentur, se & de hac nostra

nostra professione, laudibus & officijs dignissima, honorificè sentire, & huius Pauli Longicampiani honoribus fauere, cui etiam propter optimos parentes maior beneuolentia debetur, cuius pater uir & egregiè doctus, & multo rerum usu, quem peregrinationibus sibi comparauerat, instructus, in hac Academia elementa Mathematum, & initia Græcæ linguæ fideliter aliquandiu docuit, quarum rerum cognitionem à doctissimis uiris hauserat. Nam familiarissimus fuit TONSTALLO, cuius extat Arithmetici Libri magna arte conscripti, & CAPNIONIS auditor fuit in Græca lingua. Debetur autem gratitudo illustratoribus & propagatoribus honestarum artium, quæ & ornamenta & utilitates multas & magnas communi uitæ afferunt. Mater uero huius Pauli, pia matrona, nata ex honestissima & amplissima familia Blanckefeldiorum, cum in diuturna uiduitate castè & sanctè uixerit, diuinitus ornatur hoc præmio, ut in grandiori ætate filium unicum, quem pie educauit, in quo omnes senectutis suæ spes opesq; fixit, eodem die & Doctorum Iuris insignibus uideat ornari, & coniugium lætis ominibus auspicari, cuius ϛοργαὶ maternæ, & iustæ læticiæ fauere, & illi hanc fœlicitatem gratulari nos conuenit. Postremo eò libentius ad eiusmodi congressus conueniamus, ut pias preces coniũgamus, orantes Deum æternum patrem

patrem Domini nostri Iesu Christi, autorem & custodem politici ordinis, & legum, ut hæc uincula politiarum tueatur, & fonticulos scholarum, ex quibus hæc legum sapientia & aliarum honestarum artium cognitio hauritur, clementer tueatur & conseruet. Pridie Nonas Maij, quo die ante annos 27. Roma ab exercitu Caroli Quinti, Duce Carolo Burbonio tertia oppugnatione capta, & direpta est.

APud Xenophontem dulcissima narratio extat de Hippia, qui cum ex longo interuallo reuersus Athenas, audiret Socratem eadem repetentem, quæ olim ante multos annos audierat, deridet eum, et sese efferre iactitans se subinde nouam sapientiam excogitare. Fortassis & nos decidemur, quod res easdem sæpe repetimus in lectionibus & disputationibus: Sed optandum erat semper Ecclesiam res easdem, & quidem ijsdem syllabis tradidisse & tradere. Fiet disputatio Theologica proximo die Saturni, quia expectamus reditum Reuerendi domini Pastoris. Cum autem ualde utilis sit placida cogitationum collatio, Scholastici se ad disputationem interea præparent. Die Ascensionis 1554.

Philippus Melanthon.

Decanus

DECANVS COLLEGII THEOLOGICI IOHANNES Bugenhagen Pomeranus Doctor Theologiæ & pastor Ecclesiæ VVitebergensis.

NIhil dubium est, filium Dei dici λόγον, quia est persona loquens, ex sinu æterni Patris proferens arcanum decretum de reconciliatione, ac deinceps sustentans, & seruans ministerium Euangelij, quæ quidem & assumpta humana natura, sedet ad dextram æterni Patris, dans dona hominibus, uidelicet ipsam uocem Euangelij, seruans in genere humano & excuscitans Doctores salutares, & colligens æternam Ecclesiam. Hunc dominum uerè agnoscamus, & gratã celebremus. Sciamus autem uelle eum legi & cognosci doctrinam, quam prolatam ex sinu æterni Patris scribi uoluit per Prophetas & Apostolos. Nec Doctores alios excitat ipse filius Dei, nisi lectores eorum librorum. Quare & hoc legendi & discendi studium amemus, & pia exercitia huius studij non abijciamus. Adiungamus autem & seriam precationem, sicut ipse filius Dei inquit: Quantò magis pater cœlestis dabit spiritum sanctum petentibus? Pertinent autem ad labores studiorum Scholastici congressus. Ideò petimus ut omnes lectores & auditores in hac Academia die Maij 8. conueniant in templo Arcis ad renuncia-

tionem publici testimonij, quod tribuetur honestis & eruditis uiris tribus M. Georgio Aemylio Mansfeldensi, Simoni Musæo, & Petro Prætorio Cotbusiano, quorum & eruditionem & piam confessionem probamus. Decet enim testimonia publicè tribui. Et in congressu preces coniungendæ sunt, ut filius Dei dominus noster Iesus Christus λόγος τοῦ ἀνθρώπου ἀϊδίου πατρὸς seruet Ecclesias harum regionum, quem quidem toto pectore oro, ut nobis adsit, sicut dixit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, & nos doceat & gubernet, & protegat hospitia Ecclesiarum in his regionibus. Die 6. Maij 1554.

DE IMAGINIBVS CONSPECTIS IN SOLE PRAGAE Bohemorum Metropoli 10. Iunij Anno 1554.

GEns uetus, et gestis præclara Bohemica bellis,
Sustulit inuictum celsa per astra caput.
Seruat & antiquũ præsenti tempore robur,
Seu sint arma foris, seu toga sumpta domi.
Magna regit grauitas generoso in pectore mores,
Qualis in Herois conspicienda uiris.
Adde quod Aonias coluisse fideliter artes,
Ingenij summum credidit esse decus.
Nomen ab antiquis gerit hæc memorabile Boijs,
Qui primum sedes hic tenuere suas.

Pinguiq

Stygia Sudeti claudunt ubi iugera montis,
Atq; tuo iungunt Pannonis ora solo.
Plurima munifico struxerunt mœnia cultu,
Et nouas subiectis iura dedere uiris.
Inter at uros reliquas splendens caput extulit urbes
Quæ celer irriguos Mulda pererrat agros.
Auspicijs mira dominans quam sorte Lybussa,
Bohema ab excelso limine ferre iubet.
Et domus aërias extendit Regia turres,
Quæ columen Regno terra Bohema tuo est.
Magnorum series ornat numerosa uirorum
Ilum præcipuè non sine laude, locum,
Et plebs præsidijs legum sociata sub æquis,
Sunt quibus hæc summo phasmata uisa polo.
Cum uespertinus Phœbus properaret ad undas,
Clauderet & spacijs hora secuta diem,
Factus erat medius, mutato lumine, cyclus,
Ante suo nunquam qualis in orbe fuit.
Desuper influxus hausit tres ore cruentos,
Sarciat accepti ceu sua damna mali.
Hinćq; suam repetens affusa parte figuram,
Non nisi sanguineo splendet ab axe ruber.
Nec mora, completum miles procedit in orbem,
Hei mihi, uenturi nuncia dira mali.
Eius erat facies peplo celata sub atro,
Reliqua simili parte colore minax.
Fortiter elatam dextram sustollit in altum,

Intendit

Intendit saltus uiribus inde suis.
Post uelut in tenues fugiens euanuit auras,
An uidet hostiles non procul esse manus?
Hinc partem Monachus Solus succesßit in istam,
Qua sibi concesso defugit ille loco.
Hic timidos figit, contracto corpore, gressus,
Ceu repat, manibus fert sibi fulcra suis.
Transgreditur Solis directo tramite corpus,
Nutat, & inconstans est meditatus iter.
Huic niger ex omni dependet parte cucullus,
Insolito facies tetra colore fuit.
In capitis summo candens sed uertice rasi,
Circulus abscißis splendet ab inde comis.
Vix ubi sanguinei transgressus lumina Solis,
In summo tremulus constitit ipse iugo.
Ac inclinatis scapulis & corpore quærit,
Quem posßit tutò solus habere, locum.
Deserit hinc clari fulgentia culmina Solis,
Atq; sub hoc corpus condidit arte suum.
Nil nisi sola polo supereßt tunc orbita Phœbi,
Cuius erat facies uisa rubere magis.
Atq; sub occiduas mox descendisse procellas,
Ordine postquam essent ista peracta, maris,
Cernere cœlestem licet hinc in crimina pœnam,
Iratum monstrant talia signa Deum.
Sed precor, æternum uelis ut placare parentem
Qui gerus humani corporis ossa Deus.

Inde pios terris cœtus creuisse Bohemis,
Qui te non ficta relligione colant.
Simon Proxenus Budbicensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

ALiquoties iam animaduersum est, paucos accedere ad Aram in cœtu offerentiũ signa gratitudinis. Et fortassis noster hic ritus contemnitur usitata huius seculi licentia, petulantia & feritate. Cum autem nostri officij sit, iuniores ad reuerentiam Euangelici ministerij adsuefacere ueris commonefactionibus, & honestis exemplis, scitis nos sæpe repetere doctrinam à Deo traditam, de uoce ministerij, & piè ac necessariò refutare furores multorum fanaticorum hominum, Stenckfeldij & aliorum, qui abducunt homines ab hac dulcissima sententia, quæ ait: Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem! Ob eandem causam, ut bonos habeatur pastoribus, & exempli causa, retinemus honestum ritum accedendi ad Aram. Quare si nostram in ornãdo ministerio uoluntatem probatis, ualdè petimus, ut maior sit frequentia accedentium ad Aram.

Audimus etiam querelas Præfecturæ de ijs, qui ex uicinis nemoribus auferunt frondes, & thyrsos, & teneras arbores corrumpunt. Ea in re non solum petulantia meretur pœnam, sed etiam iniusticia punienda est, quia syluarum uastationes sunt damna publica. Valdè iniustum est hospites grassari in alieno, & non solum præsentibus, sed etiam posteris nocere. Quare seuerè prohibemus hanc petulantiam, quam nisi omittent nostri, magistratus defendere publica bona, leges cogent.

Rursus etiam præcipimus uobis, ut modesti sitis, & in his ferijs cogitetis de Ecclesia, & de maximis Dei beneficijs, de legis promulgatione, de filio Dei, & de donatione Spiritus sancti, quo Deus credentes Euangelio, suæ naturæ participes facit, & omnium uirtutum actiones in eis accendit. Quid potest dari maius quam filium & spiritum, qui est flamma æterni Patris & Filij accendens omnes uirtutes? Vt igitur beneficia Dei cogitetis, & ardenter petatis, & grati celebretis, flectantur animi ad lectionem, piam meditationem, & precationem, nec impediantur furoribus, qui & arcent Spiritum sanctum, & pœnas nobis et alijs attrahunt. Hæc monere nos necesse est, & uos his pijs et paternis admonitionibus obtemperare, & uestra & totius Ecclesiæ causa debetis. Datæ in Pentecoste Anni 1554.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

SCripsit huc uir Nobilis, præstans iusticia & fortitudine præfectus uicinæ ar-

eis Suinicię duarum familiarum egentium ædes, nuper cum magni flatus uentorum fuerunt, incendio perijsse, & petit, ut nos quoq; miseris opem feramus. Scitis autem & in uicinia Silesia recens pulchrum oppidum Lauban subito incendio ferè totum deletum esse. Non existimemus casu hæc accidere, sed talibus exemplis Deus nos omnes commonefacit, ut minamus modestius et gubernationem ac protectionē ab ipso petamus, & recordemur dictum: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam. Hæc uult nos cogitare, intuentes alienam calamitatem, uult nos & benefacere adflictis, ūicissim proteget benefacientes talibus, iuxta dictum: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Scriptæ die πεντηκοστῆ, qua debemus gratias agere, quòd donatur Spiritus sanctus inuocantibus & petentibus hunc gubernatorem. Anno 1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NOn potest hominum uita carere Medicis, ut de Chirurgica medicatione manifestum est. Nec Chirurgica esse potest sine Physica. Nam uulnera non tantum arte obliganda sunt, sed uarijs remedijs etiam medicanda sunt, & fracta

fracta ossa arte, & remedijs sananda sunt, & luxata reponenda. Quare & præceptum diuinitus traditum est: Honora Medicum. Nam Deus propter necessitatem nostram eum creauit. Vixit in hoc oppido ciuis honestus & officiosus Andreas Engelhart Chirurgus industrius, & peritus, & Dei beneficio in curatione uulnerum, & in sanandis fractis & luxatis membris fœlix, Ac multi fatentur, se fœliciter ab eo sanatos esse. Debita autem gratitudo est, retinere memoriam officiosi Medici. Eius coniunx Magdalena matrona honesta, & uera pietate Deum colens, quæ etiam puerperis sæpe opitulata est, heri ex huius uitæ ærumnis in confessione pia, & inuocatione filij Dei decessit. Huic Matronæ funus fiet hodie hora quarta, ad id ut conueniant Scholastici, ante ædes Generi ipsius, uiri honesti Quæstoris, eos hortamur. Semper in Ecclesia fuerunt funerum honestæ Ceremoniæ, & in hoc Generi & filiarum luctu ostendamus, nos gratam Aui memoriam retinere, & simul singuli sese & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent, quia certissimum est, homines non tantum secundis causis uiuere, sed Deo largiente uires huic fragili massæ corporis, sicut scriptum est, Ipse est uita tua, & longitudo dierum. Die 15. Iunij 1554.

MVSICAE COMMENDATIO.

VIr honestus, & natura & arte Musicus Hermannus Finck, frater uiri optimi M. Christophori Finck pastoris Ecclesiæ Dei in oppido uicino Iuterbog, docere artem Musicam, & exercere discentes potest in harmonia uocis humanæ, & fidium, & operam suam honestis adolescentibus offert. Quare bona ingenia adhortor, ut hac discendæ dulcissimæ artis occasione utantur. Scitis singulare Dei opus esse in hominum natura intelligere uocum harmonias, & constat mirabiliter earum uarietate, & suauitate cantus flecti animos ad morum moderationem. Sic quisq; sentiat, ut Eurypides inquit: Ου πάυσομαι τὰς χάριτας τὰς μόσαις συγκαταμιγνὺς ἡδίσηι συζυγίαι.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

GRatum hospitium præbuit urbs Goltperga annos aliquot Ecclesiæ Dei, & Scholæ, in qua Seminaria Ecclesiæ singulari fide, & fœlicitate excoluisse uirum doctissimum & integerrimum Dominum Valentinum Trozedorffium. fratrem nostrum carissimum, scitis. Et sunt in hac

hac Academia multi, quos Trozedorffius paterno amore erudijt, & erga quos ciuitas officiosa fuit. Recens autem ea urbs perijt incendio. Multa enim signa minitantur his regionibus Turcorum irruptiones. Vt spicæ eruentæ in Silesia, incendia multarum urbium. Et nuper supra Vratislauiam conspecta species igneæ nauis & irides flammeæ. Cum igitur pœnæ impendeant, fortasse & Goltpergæ perijt, quia iudicium à domo Dei incipit. Oremus autem filium Dei, ut iram leniat, & simus modestiores, & adficiamur miseria pauperum familiarum eius urbis, & cogitemus illud κοινὰ φίλων ἄ'χη. Summa est coniunctio Ecclesiæ illius & Scholæ cum nostra. Ideo conferamus aliquid ad leuandam inopiam egentium ciuium, & petamus à Deo mitigationem pœnarum, iuxta dictum: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, In die mala liberabit eum Dominus.

PRECATIO REGIS IOSAPHAT 2. PARALIP: 20. à Iohanne Stigelio carmine reddita.

DVm nos aucta malis miseros atrocibus urgẽt
Tempora plena dolis, tẽpora plena minis.
Siue manet pressos diri truculentia belli,

Quęq; abolet pacis uis inimica decus:
Seu crudele grauat falsa non lege tribunal,
Damnat & immeritos uox uiolenta reos.
Siue lues atris exurit febribus artus,
Seu terit exanguis uiscera sicca fames:
Mitis ab his terris gemitus pater accipe nostros,
Mandati sonuit uox ubi clara tui.
Hic quoniam largo tua gratia munere fulsit,
Factaq; per nomen uota fuere tuum.
Da Deus in te unum syncero pectore fixi
Intrepidè faciem stemus ut ante tuam.
Et nisi nos merita tua gratia deserat ira,
Stabimus, inq; tua spem capiemus ope.
Fundemusq; preces fido clamore sonantes,
Vt tanti auertas tristia fata mali.
Et tu respicies miseros, dubijsq; benigne
Rebus opem patria pro pietate feres.
Ecce dies & tempus adest, quo feruidus hostis
Irruit, & ferro uiscera nostra petit.
Deleat ut grata pulsos è sede colonos,
Munere quam tenuit nostra propago tuo.
Angitur infestis te turba professa periclis,
Milite dum tellus nostra uagante tremit.
Arma Moabites, mouet arma ferociter Ammon,
Me miserum, si non maior utroq; uenis.
Ne patiare Deus grassari impune Gigantes,
In nomen æmulant, qui fera bella tuum.

Et quia tanta nequit nostro uis Marte retundi,
Et superat nostras copia tanta manus:
Dum mens nostra graui caligine mersa laborat,
Nec bene, quid deceat, pectora cæca uident:
Ad te oculos fixos, fida cum mente leuamus,
Tu gemitus audi, uotaq; nostra Deus.
Tu rege conatus, & robora mentibus adde,
Vt tibi, quod faciunt, omne probetur opus.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

IN consideratione historiæ Iohannis Baptistæ, uniuersa Ecclesia omnium temporum intuenda est, & cogitandum, quid sit Ecclesia, quomodo collecta, seruata & gubernata sit omnibus temporibus, & Deo gratiæ agendæ sunt, quòd sese patefecit, quòd misit filium, quòd edidit legem & promissiones, quòd assidue colligit, & restituit Ecclesiam, & ardentibus uotis petendum est, ut inter nos quoq; perpetuo colligat Ecclesiam, & aliqua ei honesta hospitia tribuat. Doctrina etiam Iohannis Baptistæ dulcissima consideretur, quam cum uidcatis sine eruditione explicari non posse, magis amanda sunt studia, & scholastici cœtus fouendi. Veniat hoc etiam in mentem, fuisse certum agmen auditorum Baptistæ, tanquàm piam, &

ſtudioſam Scholam, quam intuentes ſciamus Deo placere diſcendi labores, & pijs moribus cœtus noſtros ornemus, qui utinam eſſent ſimiliores illi agmini Iohannis. Sed hæc delira mundi ſeneſta non habet tantum decus, Et tamen ex hac languida & ſqualida natura colligit filius Dei æternam Ecclaſiam & facit eam templum Dei, ſed ita, ſi diſcamus eius doctrinam. Vt autem cœtus docentium & diſcentium eſſe poßint, legibus ordinata eſt ſocietas. Has hodie publicè lecturi ſumus. Quare ſeuerè mandamus omnibus noſtræ iuriſdictioni ſubiectis, ut hodie hora prima in auditorio maximo ad audiendam recitationem legum conueniant, quibus deberi reuerentiam & propter publicam neceſsitatem, & propter Deum ſciunt, qui & fons eſt legum, & autor, & cuſtos politicæ ſocietatis, quem oro, ut nos omnes clementer gubernet, & adiuuet, quia ſcriptum eſt: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat, qui cuſtodit eam. Et manifeſtum eſt, nos hactenus clementer à Deo protectos eſſe, nec aut bellis deletam eſſe hanc doctrinarum ſedem, nec contagia impiarum opinionum irrepſiſſe. Hæc beneficia uera gratitudine agnoſcamus & celebremus, & petamus nos perpetuò gubernari. Die Iohannis Baptiſtæ, Anno 1554.

Seuerè etiam prohibemus natationes in flumine, & rixas cum nautis. Ac de periculis natationum cogitate, non ſolum communi infirmitate hominum facile amitti poſſe uitam, ſed etiam diabolum intentum in occaſiones inſidiari omnium uitæ, & meminiſtis multos modeſtos homines diaboli inſidijs in flumine periiſſe. Occaſiones igitur uitandæ ſunt, ut ſcriptum eſt: Qui amat periculum, peribit in eo.

Audimus etiam quoſdam graſſari latrunculorum more, & populari hortos, ac rapere anſeres. Hæc ſcitis prohibita eſſe diuinis & humanis legibus, quibus obtemperare debetis. Hac in re etiam de ſubitis periculis cogitate, quia ſi armis & concurſu uicinorum aliqui res ſuas defenderent, non ſine periculo dimicaretis. Obteſtamur igitur uos propter Deum, ut cogitetis, quantum in hac barbarica petulantia ſit turpitudinis & periculi, diſcite amare diſciplinam propter gloriam Dei, & ueſtram utilitatem.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACAdemia VVitebergenſi Caſpar Peucerus.

VT gerit agnorum lactentia corpora paſtor
In gremio, quæ ſunt edita uentre recens:
Sic

Sic Deus has inter pœnas mundiq; ruinas.
Discentum cœtus dogmata sacra fouet.
Tempore Zacharias Solyma quo flexit in urbe,
Ad summi ciues iussa uerenda Dei,
Imperio Lamyrus Niloticæ regna gubernans,
Qui scurræ propter scommata nomen habet:
E bello rediens Galilæas forte per oras,
Milite robusto septus iniuit iter.
Inq; aditu primo sternens ter dena uirorum
Millia, sanguinea strage repleuit humum.
Sæuiciaq; noua gaudens, absumere morsu
Captiuos iussit uiscera cruda suos.
Hic aliquis cærnes miserandi arrosit amici,
Quem memmit sancta se coluisse fide.
Nondum etiam his damnis fatalis pœna quieuit,
Omnia contnuis aucta fuere malis.
Polluit Herodes ciuili sanguine terram,
Ciuiles furiæ proh scelus omne mouent.
Sanguine natorum facies respersa parentum est,
Et sæpe à matris filia rapta sinu est.
Attamen has inter pœnas & Erinnyas inter,
Cum tota motus in regione forent:
Zachariæ casa tuta fuit, cunæq; Iohannis,
Qui tuba Christe tibi prima futurus erat.
Sæpe suæ matris dulcißimus hæsit in ulnis
Filius, in cunis oscula sæpe tulit.
Illius lateri sæpe assedere propinquæ,

Addita

Addita germanæ casta Maria suæ.
Quæ pueri linguam titubanti uoce professæ,
Dixerunt blando garrula uerba sono.
Molliaq; in teneris figentes basia malis,
Fecerunt uotis consona uerba suis:
Da Pater incolumis iustum succrescat in ævum,
Sitq; tui præco nominis iste puer.
Sentiat illius florens Ecclesia fructum,
Lætaq; ministerio gaudeat atq; nouo.
O Deus hoc agmen nostrum quod ab hoste tueris,
Gratia perpetuò iusta canenda tibi est.
Protege desertos porrò da plena salutis
Tempora, per Christi regna propinqua ducis.
Sic quoq; nunc totum cum Mars sine lege per orbem
Confusa præceps seditione ruit,
Reliquias aliquas, examina parua piorum
Colligit, & patrio seruat amore Deus.
Agmina discentum tegit, & serit utile uerbi
Voce ministrorum semen ubiq; sacri.
Nam sic, haud aliter, cœtum uocat ipse perennem,
Largitur mentis cui bona summa suæ,
Ipse λο'γ@ uiuens pia per præconia uerbi
Semper agit, dociles & mouet ipse animos.
Audiat ergo uolens, & ueram credula uocem
Accipiat, si quid mens pietatis habet.
Iustificaq; fide in domino subnixa quiescat,
Speq; expectet opem non dubitante Dei.

Nosq;

Nosq; tegi poscat, ueluti sub turbine pullos
Alarum gremio sollicitus abdit auis.
Iam quia debemus studijs præesse iuuentæ,
Quaq; licet multis illa iuuare modis.
Si fuerint, nostram quos non subijsse pigebit
Censuram, sua dent nomina more scholæ.
Non illis studium nostrum, nec amica uoluntas,
Deerit, ingenijs officiosa bonis.
Magna Dei soboles fluctus compesce feroces,
Penè tua in medijs cymba fatiscit aquis.
Turmam perge tuam bone dux defendere Christe,
Vt domito laudes concinat hoste tuas.

Anno 1554. Die Iohannis Baptistæ.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

MIrando consilio Deus ex hac fragili massa generis humani colligit Ecclesiam, & uult in hac uita inchoari æternam lucem, datq; ob eam causam aliqua uitæ spacia, sed dissimilia, sicut scriptum est Iob 14: Numerus mensium eius apud te est. Etsi autem arumnosa est uita, tamen placida, & non breuissima spatia uitæ optanda sunt propter has tres causas. Vt discamus doctrinam de Deo, ut longioribus exercitijs lux crescat, deniq; ut sint senes, qui alios docere possint. Simul etiam assiduis uotis petendum est, ut faciat nos filius Dei σὺν ἐλέους & organa salutaria. Hæc etsi alias sæpe, tamen in funerum cerimonijs semper cogitanda sunt, & simul petenda est uitæ protectio, & gubernatio. Cum autem heri adolescens studiosus, modestus, & pius decesserit, VVernerus Vogelman Heruordensis, minister reuerendi uiri D. pastoris Ecclesiæ nostræ, hortamur scholasticos, ut iam hora 8. conueniant ad funeris cerimonias, & ibi singuli suam uitam et Ecclesiam pijs precibus Deo commendent, cogitent etiam discrimen inter uasa iræ & uasa misericordiæ. Huic adolescenti contigit uitæ spacium tantum, ut recte didicerit doctrinam de filio Dei, & Deum uera inuocatione coluit, & habuit honestas operas in familia honesta, & lætatus est optimis studijs. Nunc decessit priusquam sensit tragica mala. Quanto melior est hic cursus, quàm eorum, qui ardentes iniustis odijs, crudelia bella, & perniciosa ipsis & patriæ mouerunt? Oremus autem filium Dei, ut Ecclesias suas ubiq; clementer protegat. Die 27. Iunij. 1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NOn ut sumptu onerentur tenuiores interdũ egentibus miseris Eleemosynas petimus, sed in tanta confusione imperiorum, cum multi

multi uerè miseri, & egentes negligantur in impe-
rijs, necesse est nos priuatim auxilium petere, Vt
Lazaro neglecto à Diuite opem ferunt caniculæ.
Hortamur igitur eos, qui possunt aliquid largiri,
ut huic seni ac cæco sacerdoti patri trium filiarum,
& duorum filiorum, qui propter cæcitatem cessit
alteri de ministerio, & de reditibus, dent Eleemosy-
nam. Olim enim incendio facultates amisit. Simus
memores dicti Beatus, qui intelligit super egenum,
& pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.
Cerissimum est Deum uicissim benefacere his, qui
in hoc genere misericordiam, & beneficentiam ex-
ercent. Die 28. Iunij 1554.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI CASPARI PEVCERVS.

SAepissime cogitanda est dulcissima sententia,
in qua, in scripto Salomonis inquit sapientia,
quæ est λόγος æterni patris: Fui cum eo ar-
tifex, ludens in orbe terræ, & delectationes meæ cum
filijs hominum. Adfirmat filius Dei se missum esse
ad docendum genus humanum, & sibi uoluptati esse
consuetudinem hominum, & miranda uarietate ope-
rum, quasi ludis & spectaculis ostendere suam præ-
sentiam pulcherrimis operibus creationis, conserua-
tione Ecclesiæ, in diluuio, in deserto, inter ruinas
imperio-

rum. Hunc filium Dei agnoscamus et audia-
mus, et grati beneficia Dei celebremus. Nec uero ag-
nosci potest, nisi doctrinam, quã scribi uoluit, lega-
mus, audiamus, cogitemus, & propagemus. Hæc ut
fieri possint, cœtus docentiũ & discentium esse uult
ipse filius Dei, cui gratias agimus, quòd clementer
nos quoq; & texit, & gubernauit. Cumq; sciamus
Deo hanc militiam docendi & discendi placere, nos
quoq; omnibus officijs fouere nostros cœtus decet.
Quare petimus, ut cras hora duodecima collegæ
nostri, et alij Magistri conueniant in auditorio Me-
dicorum, ubi fiet publica exploratio eruditionis eo-
rum, qui iam petunt usitato more testimonia. Ma-
nifestum est necessariam esse Ecclesiæ multarum
linguarum et artium cognitionem. Et semper Eccle-
sia domicilium fuit, simul ueræ doctrinæ de Deo, &
ueræ philosophiæ. Id decus, ut nunc quoq; seruet in
Ecclesia, optemus, & nos ipsi non solum laboribus
studiorum, sed etiam alijs officijs, quæ ad cognitio-
nem retinendam prosunt, hanc honestam possessio-
nem ueræ doctrinæ retinere studeamus. Die Iulij
22. Anno 1554.

NOn scimus quo casu perierit adolescens stu-
diosus & pius Iohannes Vueber, filius uiri
honestissimi & integerrimi pastoris Eccle-
siæ Dei in oppido Thuringico Neapoli sito ad Or-

lam. Sed quocunq; casu perierit, commonefactio nobis est eius interitus, ut maiore cura petamus à Deo protectionem, & periculum uitemus. Cum autem iam ad funus exeamus, hodie hora octaua non prælegam. Die 26. Iulij. Philippus Melanthon.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

VNicus filius honestæ matronæ uiduæ in inclyta urbe Luneburga Iohannes Alberding ex hac Academia in cœlestem euocatus est, qui & ingenij fœlicitate à Deo ornatus erat, & initia philosophiæ recte discebat, & tenebat summam doctrinæ Euangelij, sicut in hocipso agone ostendit, cum quotidie se uera inuocatione Deo commendaret, & haberet initia uitæ, & leticiæ æternæ accensa in corde fiducia filij Dei, & adhuc esset in eo agmine, de quo dicitur: Sinite paruulos uenire ad me, Talium est regnum cœlorum. Hac se consolatione uidua mater sustentet, quæ, ut uidua in Naim desiderabit filium. Vos uero maiore cura uitam uestram Deo commendetis. Monemus etiam paterna sollicitudine, ut quantum humana diligentia fieri potest, honorem tribuatis corporibus, quæ debent esse organa, & templum Dei. Comperimus quosdam sibi accersere morbos, & pericula, usu pomorum & similium rerum, & potu uel intempestiuo uel corrupto. Has morborum causas, ut consideretis, & uitetis, propter Deum & propter salutem uestram, uos obtestamur. Sumus uermiculi, ut heri dictum est, profecto miserabiles. Quare & filium Dei, qui etiam pro nobis factus est cruentus uermiculus, oremus ut nos seruet, & simus uigilantiores in uitandis periculis, ubi Deus postulat diligentiam. Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora quarta paululum infra ædes huius collegij in platea conueniant ad funus. Ibi singuli sese, & Ecclesiam pijs uotis filio Dei commendent. Die primo Augusti, quo Esdras Ierosolymam ingressus est. Anno 457. ante natiuitatem Christi ex uirgine, quibus si addas annos 33. à natali Christi ad tempus passionis, habes annos 490, qui sunt septuaginta Hebdomades. Hæc est facillima Hebdomadum Danielis computatio.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI CASPAR Peucerus S. D. Omnibus Lecturis has literas.

CVm filius Dei Euangelium Margarito confert, haud dubiè ad similia quædam in

natura gemmæ alludit, ut paſſim in omnia corpora ſparſa ſunt ſigna quædam rerum diuinarum. Conchæ ſunt, in quibus Margaritũ hoc modo naſci ſcribit Theophraſtus. Initio Veris ſua quadam natura mirabili ſitu conchæ appetunt rorem cœleſtem. Hunc cum in littus repentes, & hiantes hauſerunt, naſcitur ex eo rore & conchæ carne, cuius odor optimus eſt, gemma pellucida, aliàs aurei, aliàs argentei coloris, & mirificam uim habens in pellendis uenenis, & medicatione cordis humani. Fit autem generoſior, cum crebræ ſunt magnæ tempeſtates, donec conchæ ſunt grauidæ. Hæc congruunt. Euangelium ros eſt cœleſtis, quem cum ſitientes animi hauriunt, gemma in eis naſcitur, id eſt, renaſcuntur corda, filio Dei reddente eis uitam & lucem. Congruit et appellatio מרגרית ſeu ברגרית, ut Indi nominant. Significat enim Margarith amaram cruſtulam. Bargarith puriſſimam cruſtulam. Primum Chriſtus uere eſt puriſſima cruſtula, deinde per Euangelium & Eccleſia fit puriſſima cruſtula. Et Euangelium cum ſit doctrina crucis, eſt amara cruſtula. Aiunt etiam conchas ducem habere, ut apes. Id congruit ad Eccleſiam, quæ ducem habet filium Dei. Cum autẽ hoc Margaritum emi filius Dei iubet, ſtudia doctrinæ nobis commendat, quæ piè & conſtanter colamus, nec ea abijciamus propter iniqua iudicia indoctorum, & malorum, & propter

ærumnas, quæ noſtro ordini tolerandæ ſunt. Vt puerior fit gemma in tempeſtatibus: Ita doctrina in his difficultatibus ſalubrior erit, & uidemus diuinitus regi, & ſeruari ueram Eccleſiam inter horribiles tumultus imperiorum nunc quoq;, cum bellis ardere uidemus Germaniam, Belgicum, Italiam, de qua dimicant, & dimicabunt horrendis furoribus, Galli, Hiſpani, & Turci. Nos uero adiuncti filio Dei, qui eſt puriſſima cruſtula, petamus ab ipſo, ut nos gubernet, & ei gratias agamus, quòd hactenus nos clementer protexit, & Margaritum, id eſt, Euangelium nobis donauit. Id ut retineri poſſit, doctrinæ ſtudia ipſe quoq; præcipit. Vt igitur ei obediamus, operas ſcholaſticas ipſo iuuante facimus, ad quas etiam exploratio doctrinæ, & teſtimonia pertinent. Ideo his diebus horum eruditionem exploraui mus, quorum nomina adſcripta ſunt. Petimus autem, ut ad renunciationem teſtimonij omnes Doctores, Magiſtri & auditores conueniant, quæ fiet Deo iuuante pridie Calendas Auguſti 1554.

DECANVS COLLEGII DOCTORIS IVRIS IN ACAdemia VVitebergenſi, Michael Teuber Islebiensis, Iuris utriuſq; Doctor.

LVmen uitæ eſt doctrina per filium Dei prolata ex ſinu æterni Patris, quæ oſtendit ue-

rum Deum, & adfert bona æterna, deinde monstrat etiam, quæ sit Lex Dei, & quis sit eius usus in hac ciuili consuetudine, ut Paulus inquit: Lex est bona legitimè utenti. Extructa est autem ex ipso Decalogo doctrina Iurisconsultorum, quia Deus qui uerissime custos est politicæ societatis, uult gubernatores primum omnium uocem esse Decalogi in genere humano, deinde & interpretationes quasdam addere, sed congruentes cum Decalogo, & ex eo bona consequentia extructas, qua in re ne aberrent, ipse Deus mentes eorum sua luce regit. Ideo sapientia diuina inquit: Per me Reges regnant, & Iudices iusta decernunt. Cum autem sit ingens bonum primum nosse ueram doctrinam de Deo & de bonis æternis, deinde & doctrinam de ciuili uita, & scire ex quibus fontibus orta sit, & quare sit firma & non conturbanda, & quomodo usus eius Deo placeat, & huic uitæ salutaris sit, agamus gratias Deo fonti sapientiæ, quod de his tantis rebus recte erudimur, & petamus, ne lucem suæ doctrinæ, & uera iudicia de doctrinarum generibus extingui sinat. Ipsas etiam leges magis amemus, & maiore reuerentia eis obtemperemus, cum sciamus esse sapientiam Dei, & usum earum Deo placere. Consideremus etiam quanta miseria sit, ignorare ueram de Deo doctrinam, deinde & fanaticos furores circumferre de legibus, ut multi fingunt esse laqueos callide excogitatos litigantium causa, aut mutabilia Principum arbitria esse, et pleraque esse tyrannica, multi totum ordinem politicum damnant. Denique multi impios & seditiosos errores de his tantis rebus habent, aduersus quos animi ueris fundamentis muniendi sunt, & confirmanda est legum reuerentia ueris iudicijs, & quidem Deus orandus est, ut seruet ipse Politias, Leges, & disciplinam, & mentes nostras gubernet, ut ipsum uere celebremus, & ei in officijs honestis huius uitæ, pie & fœliciter seruiamus. Cum autem & legum ciuilium custodia ordini Iurisconsultorum commendata sit, & mandatum sit eis, ut iusticiæ uocem proferant cæteris hominibus, & iusta ac iniusta discernant, & aut arment populos, aut iubeant arma deponere, magnum omnino onus sustinent, propter quod gratitudo eis debetur, & utile est in eo ordine uiros sapientes, recte eruditos, & iustos esse. Quare nunc uiro clarissimo Georgio Craconio decernetur gradus Doctorum Iuris, ut in ordinem nostrum transferatur. Nam & ingenio excellit, & recte eruditus est, non solum in Iure, sed etiam in doctrina Ecclesiæ, & adolescentia eius exculta est ea Philosophia, quæ amantibus ueritatem utilis est ad quærendos fontes doctrinarum, & ad præstigias refutandas. Et cum sciat primum iusticiæ officium esse, Deum recte agnoscere, & ei obedire, uera fiducia Domini nostri Iesu Christi

Deum inuocat, & animi pietatem honesta morum gubernatione declarat. Ac non solum in docendo, sed etiam in foro diu iam & in iudicijs specimẽ præbuit honestum eruditionis & iusticiæ. Petimus igitur, ut ad publici testimonij renunciationem omnes Doctores & scholastici huius Academiæ conueniant, ac nobiscum precentur Deum, & ut semper Ecclesiam æternam sibi in his regionibus colligat, & seruet hospitia Ecclesiæ, nec sinat deleri doctrinam uitæ utilem, Leges, & disciplinam, & ut regat totum cursum uitæ, studia & consilia Georgij Cracouij, & faciat eum organum salutare Reipub. & suæ animæ. Hæc ut faciat Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, propter filium toto eum pectore oro. Datæ die 5. Augusti. Anno 1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

DVo sunt uicina Monasteria, non procul à Magdeburga, quibus eruditi gubernatores olim nomina tribuerunt, quæ significant, tunc quoq; studia aliqua ueræ doctrinæ fuisse, Alterius enim nomẽ est, LEX DEI, alterius GRATIA DEI. Præfuit autẽ ante annos sex et triginta monasterio, cuius nomen est, Lex Dei, uir doctus, & timens Deum, qui sæpe huc ueniebat colloquiorum causa cum Luthero. Conueniebant autem Lutherus & hospes,

& hospes, & uir ingeniosissimus Otthо Beckman, Iureconsultus in ædibus honesti ciuis Thomæ Feurlins. Ibi de omnibus materijs doctrinæ Ecclesiasticæ auidissimè audiebat Lutherum differentem senex ille hospes, & multa sciscitabatur, & miscebat disputationi uota, & gratiarum actionem, gaudebat rectè declarari beneficia filij Dei, & ueram inuocationem Dei, & officia pietatis ostendi, & uanissimas superstitiones & idola ex templo Dei eijci. Interdum etiam dicebat, lætari se, quod iam melius nosset patriam suam, Legem Dei, & uicinam Gratiam, Seq; his nominibus de uera patria cœlesti commonefieri. Hos sermones tunc quoq; studiose audiebat Thomas Feurlin, quem heri Deus ex hac mortali uita euocauit, qui cum inde usq; ab eo tempore, de quo dictum est, cognouerit & amauerit Ecclesiæ doctrinam, ostendit in tota uita pietatem animi, uera inuocatione Dei, & honestis moribus & fide, ac diligentia in senatorio munere. Nunc etiam in morbo sæpe repetiuit confessionem ueræ doctrinæ, & sese ardentibus uotis Deo commendauit, fiducia Mediatoris. Quare inter eos recensendus est, de quibus dictum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Nunc quoq; fruitur colloquijs illius sui hospitis, & Lutheri disputationes in sua domo auditas, de Lege Dei, & de Gratia Dei repetit. Hortamur autem Scholasticos, ut hora duode-

cima hodie ad funus conueniant, ante ipsius ædes, quas cum aspicietis, cogitabitis in illis ædibus ante annos 36. dulcia & erudita colloquia doctorum & piorum hominum habita esse. Singuli autem suam uitam & salutem Ecclesiæ, Deo pijs precibus in funere commendent. Die 2. Septembris 1554.

IN ARITHMETICAM.

MAnifestum est in omnibus uitæ negotijs magnum esse usum, non numerationis tantum, sed etiam artis illius, quæ ostendit in magnis aceruis diuidere partes, & numeris numeros accommodare, quæ usitate Arithmetica nominatur. Hæc communis utilitas in uita omnia mediocria ingenia ad huius artis cognitionem et exercitia inuitare debet. Sed cum in sola Ecclesia Dei, inde usq; ab initio uera anni ratio, & nota fuerit, & semper propagata & conseruata sit, studiosos quoq; doctrinarum & amantes Ecclesiam hæc tangere cura debet, ut hanc pulchram possessionem de anno retineant. Qualis enim barbaries esset, non scire temporum interualla? Nec leues causæ sunt, propter quas Deus uoluit annos discerni. Vult sciri initia mundi, uult considerari, quæ sit prima doctrina, quibus testimonijs edita sit, quando accesserint corruptelæ, quomodo iudicatæ sint, quæ fuerit futura series Monarchiarum, cuius Monarchiæ tempore Christus

Christus concionatus fuerit in carne, quæ sint spacia annorum mundi usq; ad postremam ætatem, de quibus dixit Elias: Sex millia annorum erunt anni mundi, & postea conflagratio. Duo millia inane, Duo millia lex, Duo millia dies MESSIAE, & propter peccata nostra, quæ multa sunt, deerunt ex his annis, qui deerunt. Harum maximarum rerum consideratio nulla esset, deniq; nulla series historiarum obseruari unquam potuisset, aut posset, nisi anni ratio nota esset. Hoc igitur officium aliqui ingenioſi præstent Ecclesiæ, ut harum artium doctrinam conseruent, quæ ad considerandam anni rationem necessariæ sint. Nec sinant se ab hac doctrina abduci clamoribus eorum, qui partim insciti, partim mera malitia, et contra conscientiam optimas artes allatrant. Est autem, ut Plato dixit, ianua cæterarum artium Arithmetica, & eam artem fœliciter docere potest Iohannes Piscator, monstrata uia breuiore & faciliore in diuisionibus, quàm est usitata. Hic Iohannes cras hora 12. in auditorio Medicorum inchoabit libellum, cuius & ipse exempla uendet, quem recens erudire scriptum edidit. Adhortor autem studiosos, ut huius Iohannis erudita exercitia cognoscant. Bene uale Lector.

Philippus Melanthon.

Epitaphium

EPITAPHIVM SCRIPTVM CLARISSIMO HIERONYMO Schurff Doctori Iuris.

DOctor erat iuris præstans Hieronymus artę,
Iustitia, ingenij uiribus atq; fide.
Schurfiadū de stirpe satus, quæ clara per Al
Helueticas numerat secula multa patrum. (pes
Iura enarrauit lustris bis quinq;, nec ullus
Ostendit fontes dexteritate pari.
Consilijs rexit fidis populosq; Ducesq;,
Lumen enim iuris temporis huius erat.
Hunc etiam sapiens Cæsar dignatus honore est
Carolus, Imperij qui modo sceptra tenet.
Quæq; leget ueniens ætas, monumenta reliquit,
Multorum studijs proderit iste labor.
Iustitiæ esse Deum fontem quia nouerat ipsum,
Vt recte nosset, maxima cura fuit.
Iustificaq; fide capiens tua munera Christe,
Solius est cuius parta cruore salus:
Vera luce Deum agnouit, precibusq; uocauit.
Et rectæ fidei congrua uita fuit.
Ipsius hoc tumulo requiescunt molliter ossa,
Viuit, conspectu mens fruiturq; Dei.
Decessit anno 1554, cum uixisset annos
73. & aliquot menses, & interpretatus
esset leges annos quinquaginta.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HEri die natali Mariæ matris uirginis decessit ex hac mortali uita senator huius oppidi, uir honestus & in ueteri familia natus Franciscus Den, qui dies cum de alijs magnis rebus nos admonet, tum uero de uno curriculo uitæ Mariæ, & uniuerse familiæ ipsius. Scribit Nicephorus, uixisse Mariam annos nouem & quinquaginta. quo tempore toto quantis in periculis, & ipsa, & soror uixerint, & quomodo protectæ sint inter horribiles furores diabolorum, & militum, qui in ea regione uagati sunt, cogitandum est. Idem etiam dies nos de excidio Ierosolymæ admonet, quæ prorsus incendio delcta est eo die annis à Christi natali 73. Iacet igitur politia Iudaica inde usq; ab eo excidio nunc annos 1481. Et quanquam Iudæi sæpe eam restituere conati sunt, tamen diuinitus semper et ipsi dissipati sunt, et inchoatæ ædificationes rursus deletæ sunt. Hæc exempla ostendunt iram Dei aduersus impios, & monent, neq; constitui posse, neq; seruari politias, nisi Deo iuuante. Interea tamen Simeon Episcopus Ierosolymorum, qui natus est ex patre Cleopha, & matre sorore Mariæ uirginis, eduxerat ex Ierosolyma Ecclesiam trans Iordanem. Ita in ipso excidio patriæ, tamen filius Dei seruauit reliquias

quias suas, quas ibi quoq; in pessima multitudine collegerat. Veris autem gemitibus petamus nunc quoq;, & colligi, & seruari Ecclesiam in hac tristi confusione imperiorum. Hæc & in funere hodierno cogitemus, ad quod ut hora quarta conueniatis, uos hortamur. Magna uis ingenij, & uirtus fuit in patre Francisci. Quare & patriæ in hac urbana gubernatione utiliter seruiuit, & sapiens Princeps Dux Fridericus Elector eum præfecit summo Iudicio huius regionis, & multum eius ingenio tribuit, ac familiariter eum dilexerunt alij quidam Principes, & clarissimi uiri Lutherus, & Doctor Gregorius Pontanus. Franciscus etiam honestus uir fuit, & uera inuocatione Deum coluit. Et in hoc morbo pietatem suam magna tolerantia, pia confessione, et inuocatione ostendit. Die nona Septembris. 1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

DEcessit heri honesta matrona Margarita nata honesto loco in oppido Lusatiæ Saro, & nupta uenerabili uiro M. Gallo Durbachio Berlinensi, qui in ministerio fideliter uersatus amplius septennio, huc se recepit, cupiditate discendi et audiendi præceptores suos, accensus. Ibi cum uxor grauida, & iam fœtum uiuum in utero gerens febri correpta esset, ad quam διάῤῥοια accessit, fœtus in

in utero extinctus est, & mater ægrè eijciens infantem, superata doloribus extincta est. Toto autem morbi tempore ardentibus uotis animam suam, & mariti incolumitatem filio Dei commendauit, & paucis diebus ante mortem, cum testamentum condidisset, coram aliquot grauibus & honestis uiris, palam pietatem suam & constantiam in confessione doctrinæ cœlestis, & in agnitione filij Dei Domini nostri Iesu Christi declarauit. Quare non dubitamus eam ad æternam consuetudinem Dei translatam, lætari se miserijs huius ærumnosæ uitæ, perfunctam esse, & nunc coràm frui conspectu & uoce filij Dei, & sanctarum matrum EVAE, SARAE, MARIAE, & aliarum. Nos autem decet mariti luctu adfici, qui coniugem ardenter dilexit, & nostro officio illi dolorem lenire. Quare hortamur Scholasticos & Collegas nostros, ut hora 12. conueniant prope ædes doctissimi domini Doctoris Viti Vuinshemij, ut sua præsentia funeris ceremoniam ornent, & conseruare studeant. Die 10. Septembris 1554.

IN HESIODVM.

VEteres Hesiodi librum, cui titulus est, Opera & Dies, iuuẽtuti semper in manibus esse, & aures eorũ huiusmodi uocibus iugiter personare uoluerũt. Quia doctrina de moribus grauissima &

& uitæ ſalutaris & neceſſariæ in hoc libello traditur, & ea pars legis diuinæ, ita plenè et dilucidè explicatur, ut mirum ſit hominem Ethnicum hac in re tantum adſequi & efficere potuiſſe. Accedit deinde temporum anni diſtributio, iuxta ortus & obitus certorum ſiderum, & his accommodata operarum Agriculturæ ratio. His iunguntur præcepta Oeconomica, quorũ plurimus in tota uita uſus eſt, & hæc omnia uenuſtiſſimis imaginibus illuſtrata ſunt, ut et facile memoriæ adfigi, & non facile rurſum excidere poſſint. Igitur ſapiens & erudita antiquitas ex uniuerſo ſcriptorum aceruo hunc poſſimum libellum delegit, communiter omnibus proponendum, qui liberaliter inſtituendi eſſent. Cui enim iſta ignota eſſe uidebant, eum omnino incultum ac barbarum eſſe iudicabant. Quare Cicero Leptam hortatur, ut filio Heſiodum ediſcendum proponat, Sic enim inquit: Heſiodum ediſcat Lepta ſuauiſſimus, & habeat in ore τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν &c. Cum igitur neq; utilius neq; græcæ linguæ & doctrinæ Ethicæ ſtudioſis aptius ſcriptum proponi poſſit, decreuimus & nos ad eius libelli explicationem redire, atq; die Martis hora 8. cum auxiliante Deo, auſpicabimur. Deus pacem nobis & tranquillitatem ad hæc ſtudia, atq; has operas ſcholaſticas Eccleſiæ & Reipublicæ utiles, ac neceſſarias largiatur, hisq; clementer adſpiret, ut ea

ut ea quæ grata ipſi ſunt, inter nos fiant per Chriſtum dominum ac redemptorem noſtrum, Amen.

Vitus VVinshemius.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

CYnthius æſtiuæ linquens confinia metæ,
Adfert Angelici iam ſacra feſta chori,
Qui Phlegethonteum reprimens fœliciter hoſtem
Excubias Chriſti pro grege ſemper agit. (ſtem,
Ergo pijs animis adeamus templa frequentes,
Quo Deus Angelica ſepta phalange tegit.
Scilicet ut merita pro tanto munere laude,
Noſtra Deo grates pectora & ora ſonent.
Ac ueluti uates Eliſeus tutus ab hoſte,
Præſidio Angelico cum tegeretur, erat.
Sic noſtra Angelicis defendat ut agmina turmis,
Oremus placidum ſuplice uoce Deum.
Tu quoq; ſic forma mores ſtudioſa iuuentus,
Vt tua ſit uerbo conſona uita Dei.
Crimina ne caſtos depellant fœda miniſtros,
Sed comites adſint hic & ubiq; tibi.
Arcentesq; feri rabiem fauces q; Draconis,
Cum paruis tectis corpora noſtra tegant.
Fœdera uobiſcum iuuenes cognoſcite quæ ſint
Angelicis turmis uoce ſacrata Dei.

Ex istis aliquem ne tu contemne pusillis,
Sunt etenim regni grata caterua mei.
Vtq; his attribuit superûm de sede ministros,
Ipse suum custos Angelus implet opus.
Atq; mei cernit faciem super æthera patris,
Pro tenero remanens in statione grege.
Vos igitur iuuenes Christo carissima turba,
Officijs uigiles hos retinete pijs.
Ac Euangelij quia gaudent quando ministros
Collegas cernunt esse in honore suos:
Iusta ferant sacram cras omnes munera ad Aram,
Quaq; decet celebrent hunc pietate diem,

Anno 1554.

Die quo publicè aguntur gratiæ Deo pro excubijs Angelicis, & fit precatio, ut castorum Angelorum excubijs protegamur.

IN PHYSICÆ II. LIB.

HOc pulcherrimum mundi opificium, quod Deus generi humano domicilium esse uoluit ideo tanta arte factum est & exornatum, ut esset illustre testimonium potentiæ, & sapientiæ Dei, & in primis bonitatis erga homines, quæ quidem in singulis partibus mundi attente consideratis insigniter elucet. Quare dubium non est, quin diligens aspectio naturæ mentes ad agnitionem Dei, & admirationem, ac celebrationem sapientiæ & bonitatis

bonitatis ipsius deducat. Audiuimus in primo physices libro, ubi cœli & stellarum motus expositi sunt, quàm apte omnes illæ uices admirandæ ad usus animantium, & præcipue hominum accommodatæ sint. Nam ut unum hic exemplum proferam, & Solis & aliarum stellarum errantium incessus ita sunt ordinati, ut cum radios suos ad nostram sedem rectiores, ideoq; efficaciores demittunt, corporibus suis procul sublatæ in immensam altitudinem cœli à nobis amoueantur, ne simul corporis propinquitate, & radiorum rectitudine uires suas largius effundentes, immodice & cum periculo corpora nostra, & res nascentes afficerent. Et rursus, quando radios suos spargunt in terram obliquiores (qui semper sunt imbecilliores) tunc corpora sua per maximam cœli profunditatem ad nos demittunt, ut terram foueant ex uicinia efficacius. Hoc certissimum argumentum est, singulari prouidentia Dei motus stellarum ita ordinatos esse, ut illæ aptissimæ uices corpora nostra & res ex terra in usus hominum nascentes iuuent. Talia præsentiæ Dei uestigia cum plurima deprehendantur in illa cœlesti regione, quæ longius à nobis abest, multò plura perspici possunt in Elementari regione mundi, quæ nos propius circundat, nobisq; gratam & iucundam sedem & alimenta præbet. Ad eius partis mundi adspectionem, cum iam nos uocet ordo libelli phy-

ſici, quem enarrandum ſuſcepimus, horter Scholaſticos, ut eam quoq; phyſices partem cognoſcere ſtudeant, quæ minus difficultatum habet, & (ut dixi) euidentia diuinæ bonitatis monſtrat teſtimonia, & utiliſſimis ac neceſſarijs artibus quibuſdã lucem profert. Nam medica ars, qua hominum imbecillitas caret non poteſt, tota ex hac phyſica doctrina extructa eſt, & aliæ multæ artes, quæ neceſſaria ſubſidia uitæ humanæ elaborant, initia eruditæ ex eadem doctrina phyſica ſumpſerunt, ut ſunt artificia Chymica omnis generis, confectio panis, uitri, ſalis, pigmentorum, & multorum aliorum, quæ maximos communi uitæ uſus præbent. Prodeſt et ad ualetudinis curam, & ad morum gubernationem temperamentorum cognitio. Tantarum utilitatum cogitatio moueat liberales animos, ut hanc doctrinam de natura Elementorum expetant. Auſpicabor autem ſecundum librum phyſices, Deo iuuante, perendie die Martis hora ſecunda in auditorio noui collegij. 14. Octobris 1554.

Paulus Eberus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SEntentia dignißima eſt conſideratione in capite triceſimo tertio Syracidæ: Vir ſapiens non odit legem, ſed Hypocrita in lege, eſt uelut cymba in tempeſtate. Ἀνὴρ σοφὸς οὐ μισήσει νόμον, ὁ δὲ ὑποκρινόμενος ἐν αὐτῷ, ὡς ἐν θαλάσσῃ πλοῖον. Naturæ efferæ horribili fremitu oderunt diuinas leges & diſciplinam, uelut carcerem. Deinde alij Hypocritæ dubitantes de prouidentia, & de præſentia Dei in Eccleſia, & non certo ſtatuentes Eccleſiam colligi à filio Dei uoce Euangelij, eadem ſunt hoſtes Dei, nec ſuſtentant ſe agnitione Dei in hac ærumnoſa uita, & plena periculorum, ſed ruunt in dolores ſine fine, & quærunt uaria & fallacia conſilia, ut ſeſe muniant contra res aduerſas, ut Themiſtocles, Alcibiades, & alij innumerabiles, ſicut cymba uariè iactatur in fluctibus. Sed pij amantes legem, id eſt, doctrinam Dei, & uolentes regi uoce Dei, habent in aduerſis firmam conſolationem. Nam Deus hos gubernat, et protegit, ſicut ſæpe ſcriptum eſt: Timenti Dominum non deerit ullum bonum. Ideo uos oramus & obteſtamur propter gloriam Dei, & propter ueſtram & communem Eccleſiæ ſalutem, ut legi Dei adſentiamini, in qua manifeſta eſt aſſeueratio, confirmata reſuſcitatione mortuorum, & alijs miraculis, adfirmans non caſu uolui humana, ſed uere Deum colligere æternam Eccleſiam uoce Euangelij, & uelle doceri iuniores, uelle ut præſint gubernatores, & iuuari ſtudia, & gubernationem peti ab ipſo filio Dei. Vt igitur

igitur ipſe filius Dei perpetuo ſit Rector huius Academiæ, toto eum pectore oramus. Cum autem uelit uoce hominum doceri, & regi alios, tanquam organo ſuo, uult in hominum cœtibus magiſtratibus obtemperari, & uult hunc ordinem conſilio diuino inſtitutum intelligi & amari. Ideo ſignificamus uobis, nos Deo iuuante cras electuros eſſe Rectorem Academiæ iuxta leges noſtras, & præcipimus, ut ad renunciationem electi Rectoris hora 7. in auditorio maximo conueniatis, & ut oſtendatis reuerentiam ueſtram erga noſtras leges, & ſciatis cui magiſtratus mandatus ſit. Neceſſe eſt iuniores adſuefieri, ut diſcant, ſapientia & uoluntate Dei ordinem in gubernatione ſancitum eſſe, & propter uoluntatem Dei obtemperent. Oramus autem ipſum filium Dei, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut nos omnes doceat, & gubernet, & ſemper in his regionibus clementer Eccleſiam colligat, & eam protegat.

Pridie Lucæ, Anno 1554.

Scriptæ

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA A DIE LVCAE, ANNI M. D. LIIII. Vsq; ad Calendas Maij, Anni 1555. in ſemeſtri Hyberno, quo Rector fuit Illuſtris ac Generoſus dominus STANISLAVS, COMES IN GORKA, Caſtellanus Brzeſtenſis, & Capitaneus Buſcenſis.

VICERECTOR VERO M. SEBASTIANVS THEODORICVS VVinshemius.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

PLærisq; hic notus fuit Reuerendus uir Theologiæ Doctor Nicolaus Medler, qui multas Ecclesias in Germania & docuit & consilijs rexit. Et cum ad Ecclesiæ doctrinam ac pietatem adiunxisset cognitionem linguarum, & honestarum artium, in multis locis etiam iuuentutis studia præclare adiuuit, cum in Dialectica, Arithmetica & Musica multos exerceret. Ac monumenta reliqua sunt testimonia piæ confessionis ipsius. Et Arithmetici libri ipsius ostendunt, excellentem uim ingenij fuisse, & magnum artis usum. Huius optimi uiri filia honestissima Esther, quæ uera inuocatione & ueris officijs pietatis semper Deum coluit, fuit coniunx uenerandi & docti uiri Magistri Iohannis Sturionis, qui nunc in Ecclesia huius urbis ministerio Euangelij piè fungitur. Fuitq; coniugium eorum plenum pietatis, & uera Dei Ecclesia. Etsi autem dolendum est mariti & filiorum causa, à quibus nunc ad dulcissimã cœlestis Ecclesiæ consuetudinem abducta est hæc materfamilias: tamen magis dolendum est publicè, quia ueræ inuocationis sociam in nostro cœtu amisimus. Sed precemur filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut & Ecclesiæ ærumnas leniat, & seruet multas pias familias, ut ipse

ipse magis celebretur, & in hoc luctu uenerandum uirum M. Sturionem consoletur Spiritu Sancto, & sit pater & custos Orphanorum. Cogitemus etiam re ipsa uniuersam Ecclesiam cœtum esse infirmum & miserabilem orphanorum, & nos filio Dei commendemus, qui certe hanc ipsam ob causam adsumpsit humanam naturam, ut hoc mirando fœdere perspicuè testaretur, se adfici cura nostri, & nos ab ipso gestari, ceu surculos illi suæ massæ insertos. Hæc piè cogitanda sunt in funere huius matronæ, ad quod ut conueniatis hora duodecima ante ædes Venerandi uiri Magistri Sturionis, petimus. Die 9. Nouembris, Anno 1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

DVo sunt hîc Traiectenses fratres, ut narrant, quorum alter literatus est, cuius adparet bonam esse naturam. Alter est rudis literarum, qui nunc, ut existimo, propter malum uictum cœpit errare mente, & non est instructus uiatico. Etsi rectius esset illiteratos suas operas facere, tamen quoquo modo hîc hæserunt isti, postquam nunc alter ægrotat, sit nobis, ut uiator faucius Samaritano, nec deseratur. Hæc officia necessaria sunt, & Deo grata, qui uicissim nobis leniet pœnas,

si fuerimus officiosi erga calamitosos, præsertim hospites, iuxta dictum: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Petimus igitur, ut ægrotus Eleemosyna iuuetur. Die 23. Nouembris 1554.

CASPAR PEVCERVS
STVDIOSIS MATHEMATUM S. D.

DEo iuuante proxima die Iouis ordiar explicationem doctrinæ de terræ dimensione, quam ex Geometricis fontibus Methodo (quantum fieri potest) planissima & discentium captui accommodatissima, rudius aliquanto & prolixius extructam, & diagrammatis illustratam pluribus, quæ ad singulos casus adhibui peculiaria, ut omnem uarietatem suis seorsum typis exprimerem, & ceu contuendam oculis proponerem, anno superiore edidi. Volumus enim illam doctrinam, quæ & demonstrationibus firmissima, & certitudine ac euidentia pulcherrima, & usu immenso amplissima est, cùm, in omniũ scholasticorũ uersari manibus, tùm ea disci methodo, quæ deducit ad aspectum & cognitionem ueritatis, certis, directis, non dubijs aut ambiguis, & nunquam aberrantibus semitis, scilicet per ἀποδείξεις γραμμικάς, quarum certitudo principijs nititur immotis. Hortor igitur Scholasticos, ut & adsint frequentes huic explicatoni, & ponant aliquid operæ studij, & temporis in cognoscenda doctrina uere dulci, notoq; & conspicuo usu commendatissima. Et requiremus eam in posterum in examinibus. Nam ut ad ueritatem demonstrationibus examinandam et metendam scholasticos assuefaciamus, unicè nobis curæ est. Complectitur autem hæc ipsa doctrina plures artes alias, Arithmeticã, Geometriam, Cosmographiam, quas hac occasione & repetent, & exercebunt studiosi. Cum uero libellus breuis sit, non diu immorabimur, et eo absoluto, Deo auxiliante, μεγάλην σύνταξιν Ptolemæi aggrediemur. Studiosi interea instruant sese libello ipso, & simul, uel canone subtensarum Copernici, uel instrumento sinuum, seu primi Mobilis Appiani, uel tabulis directionum M. Erasmi Reinholdi recens editis, quibus Canon Copernici insertus est, cũ canone fœcundo ad singula scrupula extenso. In Euclide & τετραβίβλῳ Ptolemæi consuetos horis pergam. Valete.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

VEre adfirmamus uirum Nobilem, consilio & uirtute præstantem, & peritum rei militaris Sebastianũ à Vualuitz, hanc præfecturã ita rexisse, ut clementiæ, æquitatis, & moderationis laus meritò ei attribuatur. Pacis et trãquillitatis in tota præfectura sustos diligẽs fuit. Cõtrouersias placidè audiuit, et in iudicando

iudicando nusquam à iustitia discessit, multas æquitate lites lenijt & dirimit. In ijs, quæ erant obscurè, adhibuit uiros doctos in iure. Senatum oppidi ita amanter complexus est, ut concordia in gubernatione eorum perpetua fuerit, quoad hic fuit. Et cum intelligeret & amaret Ecclesiæ doctrinam, præcipua ei cura fuit, in tota præfectura Ecclesias fouere & ornare, & Pastores aduersus iniurias tueri, Lectores uero Academiæ singulari beneuolentia omnes complexus est. Hæc cum notissima sint, si quis hanc nostram commemorationem reprehendet, iniuriam & ipsi Præfecto mortuo & nobis faciet. Laudat præsidem patriæ suæ Olympium Gregorius Nazianzenus, cuius adscribemus uerba exempli causa: Quis senectam meam fouebit? A te impetraui plurima beneficia ærumnosis, lacrymas uero nobis relinquis, & laudes scriptas in mentibus nostris tanquàm in perpetuis columnis. Quod si redieris, ut optamus, Deo maiora sacrificia gratitudinis offeremus. Hæc de Olympio Nazianzenus. Possumus & nos uere idem dicere, plurima nos impetrasse beneficia ab ipso calamitosis, sicut hic inquit Naziäzenus, se fuisse προξενον humanitatis Olympij, hoc est, pro alijs multa impetrasse. Nec dubitamus gratam Præfecti nostri memoriam semper conseruaturos esse omnes honestos uiros in mentibus in hac tota præfectura. In militia uerò fidem & for-

& fortitudinem ipsius ostendit uulnus, quod accepit in eodem prælio, in quo fortissimus Dux Saxoniæ Elector, princeps Mauricius pro patria dimicans, uulneratus est, & in his Germaniæ periculis multum hic noster Præfectus, si diutius uixisset, patriæ prodesse potuisset, & consilio & præliando. Nam cum bellorum mala intelligeret (duxerat enim exercitus, in Gallia, Italia, Dania, & Germania) nunquam arma capi uoluit, nisi cum necesse esset, non uoluit uastari Ecclesias, & deleri leges, & disciplinam. Pacis igitur suasor erat, & idem in armis erat acerrimus. Fuit & priuata uita pia, casta, & modesta, doctrinam de filio Dei studiosè didicit, & Deum uera inuocatione coluit, & cum haberet honestissimam coniugem natam in familia Schonbergia, patre uiro sapientia & uirtute præstanti, cuius frater fuit Nicolaus Schonbergius, Cardinalis, Episcopus Capuanus, cuius sapientiam & eloquentiam Italia magnifecit, piè & castè uixit, ita ut consuetudo eorum domestica uerè fuerit Ecclesia Dei. Tali uiro, cum hoc tristi tempore, & respublica, & hæc præfectura, & nos orbati simus, dolendum est. Sed in hoc luctu etiam hæc consolatio tentatur, quod & antea pie uixit, & hoc toto biennio conflictatus grauissimis morbis, ita se cogitatione promissionum filij Dei & inuocatione confirmauit, ut animi robur ostenderit, ueram in eo

fidei

fidei lucem, accensam fuisse. Heri etiam in hoc po-
stremo agone, cum existimaretur iam uocem &
omnium membrorum uim amisisse, tamen brachia
fortiter sustulit, & suspiciens manibus complicatis
clara uoce pronunciauit hæc uerba: In manus tuas
Domine Iesu Christe fili Dei crucifixe pro nobis,
& resuscitate Redemptor & saluator noster, com-
mendo spiritum meum. Scriptum est autem, Beati
mortui, qui in Domino moriuntur. Quare cum
uiuat in Ecclesia cœlesti, luctum moderemur, grati
uero memoriam uirtutum ipsius & publicorum be-
neficiorum conseruemus, & oremus filium Dei, ut
honestissimæ matronæ uiduæ & filijs ipsius benefa-
ciat, & nobis deinceps quoq; det salutares guber-
natores. Hæc in funere iam cogitanda sunt, ad
quod ut hora nona ante arcem conueniatis, omnes
uos hortamur. Die 27. Nouembris, Anno 1554.

PSALMVS XXIII.

Deus est Pastor meus etc.

ET Deus est Pastor meus, & me ducit euntem,
Eius & ad nutum pabula sector ouis.
Hoc præsente mihi contagia nulla nocebunt,
Nil mihi præsidij, copia nulla deest.
Namq; uagam reuocans in pascua pinguia misit,
Et

Et læto irrigui gramine pascit agri.
Fontis & illimes ad aquas deduxit amœni,
Vnde aura optati grata uigoris abit.
Hic mihi languentes instaurat suauiter artus,
Hic animæ recreat uiscera tota meæ.
Ille mihi custos, recto me tramite ducit,
Iusticiæ tutum, qua uia monstrat, iter.
Nomen ei iustus, causa mihi nominis ultrò
Iusticiæ donat robur & arma suæ,
Hinc etiam mortis si cæca in ualle uagabor,
Nilliæ metuam nulla pericla meæ.
Tu quoniam mecum Deus es, tu Pastor euntem
Et regis, & tuco tramite ducis ouem.
Vera mihi præbent dulci solatia fructu,
Virga tua, & baculus, muneris arma tui.
Virga tua & baculus, uerbi diuina potestas,
Ferrea quod subito corda tremore quatit.
Hæc ego dum lætor, te sic curante, parata est
Ante oculos splendens regia mensa meos.
Silicet ut uideant intabescantq; uidendo,
Qui mihi perniciem nocte dieq; parant.
Tu mea Balsamea perfundis tempora Nardo,
Vnde abit in totum cor mihi suauis odor.
Addo quòd & latices mihi te miscente salubres,
Mensura est calicis plena fluensq; mei.
Ergo ego dum carpam concessæ pabula uitæ,
Donec in hac mundi fece superstes ero.

Me

Me tua contiguo præcedet gratia passu,
Me tua non renuet cura paterna sequi.
Sic habitabo tui fœlix sacraria templi,
Perpetuoq; domus me teget umbra tuæ.
Discite mortales summum decus esse, bonumq;,
Vnius in templo posse manere Dei.

Iohannes Stigelius.

DE ECLIPSI LVNÆ QVAE ERIT HOC MENSE DE-cembri nocte proxima hora secunda, post diem octauum huius Mensis, Anno 1554.

NOn casu uolucres atomi sine mente ruentes,
Hanc mundi formam progenuere nouam.
Inde sed æternæ lucet sapientia mentis,
Corpora quæ uerbo condidit ista suo.
Iussit & æthereis studijs uigilantibus arces,
Lumina ceu patrios, nostra, subire lares.
Rimariq; uias cœli uariosq; meatus,
Quasq; ferant certis motibus astra uices.
Sidera namq; suas non egredientia metas,
Quod faciunt stabiles ordine ducta uias,
Condita naturæ certa sic lege feruntur,
Multaq; uenturæ dant documenta rei.
Præcipue tenebris quoties soror abdita Phœbi,

Fratris

Fratris ob aduersos fusca laborat equos:
Certa futurarum prænunciat omnia rerum,
Est quarum constans cognita sæpe fides.
Si tamen hæc pugnes dubio contingere casu,
Non homo, sed pecudis nomine dignus eras.
Inter & humana rationc carentia bruta,
Debueras uitæ nescius esse tuæ.
Fatidico quondam correptus numine Vates,
Penelopes uero dixerat ore procis.
Sparsa fluunt tristi muralia saxa cruore,
Effugite, est uestri corporis iste cruor.
Ipse suos condit picea ferrugine uultus
Phœbus, & in medio nox ruit orta die.
Si qua fides astris: nox hæc erit ultima uobis.
Soluitur in risus impia turba leues.
Tu quoq; Sardoo qui diuidis ora cachinno.
Supplicij rides tempora certa tui.
Ergo pruinosi cum lux octaua Decembris.
Merserit occiduis seq; diemq; uadis,
Actaq; iam mediæ fuerint ubi tempora noctis,
Fecerit & cursus hora secunda suos:
Cynthia puniceis obducta uidebitur umbris,
Inuito lucem fratre negante suam.
Vos neq; Tyndaridæ, tecti sub limite noni,
Ambo laboranti ferre potestis opem.
Scorpius Eoi perfert in cardine cœli,
Dum tegit hæc tenebris tristibus ora, Iouem.

Aspicis

Aſpicit hunc torue Mauors ſublatus ab ortu,
Pondus ubi trutina Virgo bilance mouet.
Ne uideant dominæ priuatos lumine uultus,
Sub ſtygios abijt cætera turba lacus.
Iſta ſecuturos de relligione tumultus,
Signa per euentus cognita ſæpe monent.
Ergo quibus pariunt uenturi ſigna dolorem,
Et ſacer eſt curæ relligionis honos:
Degeneres uita mores meliore regentes,
Iuncta pijs precibus ſoluite uota Deo.
Ipſe ſuum paſtor lacerum defendat ouile,
Doctrinæ tenebras diſcutiatq; ſuæ.
Vtq; ſit in cunctis Eccleſia ſalua periclis,
Hæc precor aſſenſu ſint rata, Chriſte, tuo.

Chriſtianus Lotichius.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SAepe auditis agmina docentium & diſcentium in hac uita imaginem eſſe uitæ cœleſtis, in qua aſſidentes filio Dei audiemus colloquentes æternum patrem, & filium, & Spiritum Sanctum, & in ipſis coràm aſpiciemus Ideam uniuerſi opificij mundi, & cauſas mirandorum conſiliorum, quare & filius miſſus ſit, ut fieret uictima, & Eccleſia inter tantas miſerias collecta ſit, denique perfuſi luce cœleſti,

cœleſti, læti fruemur ſapientia & bonitate Dei. Nec profecto quidquam in tota uita hominum melius & præſtantius eſt hoc ipſo opere, uera docendi & diſcendi de Deo & alijs rebus bonis. Ac propter hoc opus ad ſocietatem conditi ſunt homines, & Deus in Eccleſia inter ingentia pericula aduerſus rabiem diabolorum, ſcholas, literas, doctrinæ uocem, & optimas artes, immenſa bonitate tuetur. Sed uult nos agnoſcere hæc ſua beneficia, uult Scholas non petulantiæ gymnaſia eſſe, ſed domicilia doctrinæ & diſciplinæ, ac uere templa diuinitatis, in quibus Spiritus ſanctus uoce docentium flectat mentes ad ueram inuocationem, & ad omnes uirtutes. Propterea & caſti Angeli ueſtra corpora & hoſpitia contra diabolos tuentur. Hæc ſunt uerißima. Quare uos propter Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, fontem ſapientiæ, qui radios ſuæ lucis nobis impertit, qui miſit filium Angelum magni conſilij, ut Propheta eum nominat, id eſt, doctorem ex arcano conſilio diuinitatis uocem Euangelij proferentem, obteſtamur, ut ſitis modeſti, ac præcipue iam in tanto luctu Eccleſiæ adficiamini curæ communis ſalutis, & mentes ad conſiderationem horribilium diſſipationum compoſitas, ad petendum auxilium cœleſte accendatis. Profecto non congruit horum temporum periculis hæc magna ſecuritas, ac ebrietas potius multorum, qui ſine modo

laxant frenos cupiditatibus. Romani tempore belli Punici ſecundi ciuem proſpicientem de feneſtra coronatum iuſſerunt in carcerem duci, tali tempore delitijs indulgentem. Quantò indignius eſt, ſcholaſticos, qui ſunt Eccleſiæ milites, in his tantis miſerijs, non ſolum leuiter ludere, ut ille Romanus in cœna hilariore coronis ſe oblectabat, ſed hoſtili more in plateis & in hoſpitijs tumultuari? Prohibemus igitur ſeueriſſime nocturnas uociferationes & armatorum diſcurſationes, ac ſignificamus uobis, excubias à Magiſtratibus ſeueriores conſtitutas eſſe, quibus mandatum eſt, ut tumultuantes compeſcant. Frenare impetus animorum ratio, meditatio doctrinæ, cogitatio de ira Dei, & ingentibus ruinis rerum humanarum huius ſenectæ mundi debebant. Sed ſi qui harum maximarum rerum cogitatione non mouentur, hos compeſci à Magiſtratibus neceſſe eſt. Et ſperamus Deum & piorum gemitus exauditurum eſſe, & ſeruaturum hos noſtros alueolos, et Magiſtratuum diligentiæ opitulaturum eſſe. Calendis Decembribus 1554.

LECTORI S. D.

TAnta admiratio fuit Tragœdiarũ Eurypidis, ut multi ciues Athenienſes cùm eſſent capti in Sicilia, dimiſſi ſint propterea, quod dominis deſcripſerunt Eurypidis Tragœdias. Sed cur tanti

tanti fecerit eas uniuerſa antiquitas, illi optime intelligent, qui legent ipſi. Ac ſcitis nos hortatores eſſe, ut ſæpe & multum legantur horum duorum ſcripta, Eurypidis, & Sophoclis. Allata eſt autem enarratio Hecubæ Eurypidis, ſcripta à uiro præclare erudito Matthæo Heuslero, Lectore in inclyta Academia Lipſica. Eam enarrationem ualde profuturam eſſe Græcè diſcentibus iudico. Quare Scholaſticos adhortor, ut eam emant, curabo etiam ut publicè eius Tragœdiæ interpretatio repetatur, aut prælegam ipſe poſt Lipſicum mercatum. Die. 18. Decembris, Anno 1554.

Philippus Melanthon.

SEQVVNTVR SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA Anno Chriſti 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SEra pruinoſæ redierunt frigora brumæ.
Solis equos gelidus dum Capricornus habet.
Menſe ſub hoc patribus quondã promiſſus aui-
Humani ſumpſit corporis oſſa λόγος. (tis,
Quis comprendat opus rationis acumine tantum,
Vt poſſit uerbis aſſeruiſſe fidem?

Fallitur, eloquio & facundæ flumine linguæ,
Munera qui pingi talia posse putat.
Tu modo Gnate Dei, cui uoce animisq; fauemus,
Dum cupimus grates carmine ferre tibi.
Pectora tu doceas, ut te cognoscere uere.
Inq; tuas laudes esse parata queant.
Nam λόγ☉ es cœlo præconia mystica pandens,
In quo cœlestis fulget imago patris.
Quo duce sunt nobis summi patefacta parentis
Numina, quod uerbis talibus ipse doces:
Nemo Patrem nouit nisi Filius, & quibus huius
Semina noticiæ filius ipse dedit.
Conueniens igitur nomen tibi sancta uetustas
Attribuit certæ relligione, λόγον.
Missus es idcirco, sonet ut tua concio sanctis,
Organa qui gaudent agminis esse pij.
Euolusq; patris decreta latentia nobis,
Illius & profers nuncia læta sinu.
Ipse ministerium seruas, ac munera uitæ
Das simul, & nobis Doctor es atq; λόγ☉.

AT quæ causa fuit, quare tam fœdere miro
Indueres nostræ debile carnis onus?
1 Decretum siquidem factum nisi tale fuisset,
Partem huius massæ te fore gnate Dei,
Interitu subito natura humana periisset,
Sponte sua uetito crimine facta nocens.

Ergo

Ergo ut homo fieri posses, nos uiuere lapsos,
Mortali quamuis conditione, finis,
2 Præterea læsum quia te placante parentem.
Facta fuit primum mitior ira Dei.
Fas erat humano uestitum corpore nasci,
Λύτρα soluturum te preciosa patri.
3 Nec tua, quod iustam toleraret uindicis iram,
Omnipotens ullum dextera fecit opus.
Cum diuina suas rapit indignatio flammas,
Nemo potest uultum sustinuisse Dei.
Destruit ira reum, luat ut pro crimine pœnas,
Qui legis fatua spreuerat aure minas.
4 Nec uirtute potest hominis, mors effera uinci,
Pristina nec domita morte redire salus.
5 Nec nisi diuino qui continet omnia nutu,
Collecti custos agminis esse potest.
Sed tu qui duris tener in præsepibus infans,
Stramine contectus panniculisq; iaces,
Tantus es, ut uerbo mortalia corpora serues,
Progeniem nostram nec perisse sinas,
Tantus es, ut posis persoluere λύτρα parenti,
Vulneribusq; tuis restituisse reos.
In te diuinæ uis atq; potentia mentis,
Iræ non fictæ fulmina ferre potest.
Tu potes infernos prosternere uiribus hostes,
Et tibi captiuos asseruisse manu.
Tu potes æternum deuicta morte triumphum

Ducere, & amisse reddere lucis opem.
Assiduè uigilas igitur pro parte redempta,
Ne lupus infesto dissipet ore gregem.
2 Sic Abrahæ quondam gratus conuiua fuisti,
Appositas ornans uoce docente dapes.
Te celsa in scala stantem conspexit Iacob,
Sciret ut exilij te comitem esse sui.
Tecum luctatur rediens Euphratis ab unda,
Luctanti uires addis & ipse nouas.
Exorat, ualidis complexus teq; lacertis,
Vt sese uerbo uiuificante regas.
Hic te uirgineum fœtum fore dicit, & inde
Mirandum SILOH nomen habere dedit.
Tunc fragile es Chorion, & squalens fascia tabo
Sanguine cum deles crimina nostra tuo.
Vt seruata λόγῳ tamen est tua fascia uictrix,
Insertos seruas nos tibi gnate Dei.
3 Sufficis inuictam Iosuæ uim mentis, & artus
Ad pugnam ualidos instruis ante duci.
Te siquidem, dum castra uelut speculator obires,
Aiebas populi totius esse ducem.
Nunc age sis tristi noster quoq; tẽpore princeps,
Nomen ut immanuel conuenienter habes.
4 Te Daniel uates ὁ ἀριστὴρ cernit & audit,
PALMONI proprio te uocat atq; sono:
5 Tu quoq; Chaldæis reprimens fornacibus ignes,
Deserat ut flammas uis inimica, facis.

Haud

Haud secus ergo precor nos ô generose guberna,
Cui similis toto est nullus in orbe puer.
Sis λόγος in nobis tu per spiraminis auram,
Pectora fac uerbo congrua nostra tuo.
Et quia per uerbum uehitur sub pectora Christus,
Debita Doctori quisq; didactra ferat.
Nostra ministerij mens ut testetur amorem,
Exemplo reliquos erudietq; pio.
Deniq; nos inter Christus sibi seruet ut agmen,
Orandum toto pectore quisq; sciat.

Anno 1555. In die festo, quo celebratur recordatio mirandæ natiuitatis filij Dei Domini nostri Iesu Christi, qui est Deus, iustitia nostra.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia VVitebergensi, M. Caspar Guilelmus Hallensis.

QVando recẽs natũ Bethlemia uidit Iesum,
Casta Dei genitrix hospes in urbe fuit.
Hic aderat testis parienti castus Ioseph
Fœminei deerat sedula turba gregis.
Nec famulæ solum, desunt quoq; cætera matri,
Vix bene fomentis thura tepescit hyems.

Obſtetrice caret pariens, niſi forte miniſtri
Angelici caſtas ſuppoſuere manus.
Ah dolor, infanti cunas præſepia præbent,
Pro molli pluma gramina ſicca, torum.
At foris Angelicæ reſonant noua carmina uoces,
Paſtorumq; piè candida corda docent.
Tunc ſimul exultant tacito labentia motu,
Et plaudunt nato ſidera Chriſte tibi.
Deniq; ſi liceat, cunas accedere malint,
Et ſubito notis deſiluiſſe uijs.
Fallar? an Eoum quoq; Sol properauit ad ortum,
Cerneret ut Domini membra puſilla ſui?
Tunc etiam rutilo noua lux effulſit in orbe,
Diffundens late Perſidos axe iubar.
Quod iubar ad nuper nati cunabula Chriſti,
Eulæo doctos duxit ab amne Magos.
Hinc ubi magnificis congeſta laboribus olim
Mœnia Suſarum nomine dicta iacent.
Er gone doctrinæ genus hoc contemnere fas eſt,
Lucida cum motu quod docet aſtra ſuo?
Quis neget æthereas oculis luſtraſſe figuras,
Præſtantes ſtudijs & pietate Magos?
Qui ſoli dedit os homini ſublime creator,
Vult cerni noſtræ candida templa domus.
Sic ipſi uidere nouum fulgeſcere lumen,
Inferius reliquis orbibus eſſe tamen.
Nam radio propiore domum monſtrabat eandem,
Quæ

Quæ Chriſto hoſpitium cum genitrice dedit.
Voluentes igitur ſacrata uolumina uatum,
Exhibitum terris te bone Chriſte uident.
Inde Paleſtinis quærunt properanter in oris,
Vtq; nouo Regi regia dona ferunt.
Sic alimenta ſuis & opem dat ſummus, & omni
Tempore mirandis liberat ipſe modis.
Iuſta timent ſemper uenientia fata Tyranni,
Sæuus & Herodes ſic ſua fata timet.
Qui tibi Chriſte puer crudelibus imminet auſis,
Infantum diro dum necat enſe gregem.
Hei facinus quantum rex impie pectore uerſas?
Quæ noua ſeuiciæ nunc tibi forma ſubit?
Ecce trucidatur diuulſus ab ubere matris,
Illius aſpergens ora cruore puer.
Forte manus ridens ferienti porrigit infans,
Nec minus in medio corpore uulnus habet.
Quid tibi nunc animi eſt dum ſpicula miles aperte
Impulſa torques ſanguinolenta manu?
Ventoſo attonitus ceu fulmine nónne reſiſtis?
Ni facias, pectus cote rigere putem.
Tum Deus in Pharias Mariam diſcedere terras,
Exilij ærumnas & ſubijſſe iubet.
Hic poſcebat opem res, atq; uiatica, certam,
Triſtia ſi uellet uincere damna fugæ.
At diuina ſuam ſeruat auſtodia plebem,
Longinquis ueniunt commoda dona locis.

Talia

Talia sed quæris cur donent munera Christo?
Thus, aurum, myrrham, cur tria dona ferant?
Haud aliud quicquam fuluo syncerius auro est
Sint syncera igitur dogmata, pura fides.
More Deum ueteri placant, cum nubila sursum
Alta petunt tepidis thura cremata focis.
Sic gemitus spirans mens attollatur in altum,
Atq; foris celebret lingua diserta Deum.
Myrrha crucem tristem, quam fert Ecclesia signat,
Arboris huic lacrymæ tristis amaror inest.
Hos tibi cultus toto tibi pectore poscis,
Dum modo quis rectè te colat alme Deus.
Nec sine doctrinæ studijs hæc dona parantur,
Noster ut his prosit, nos rege Christe labor.
Dent autem solito nobis sua nomina more,
Censuram studij qui subijsse uolunt.
Non labor his deerit noster, nec amica uoluntas,
Semper & ingenijs officiosa bonis.
Nunc te Christe precor placidæ da tempora pacis.
Vt maneat ueræ relligionis honos.
Tu uerus Michaël stygios arceto furores,
Et facito hic nobis faustus ut annus eat.

Die 6. Ianuarij, Anno 1555.

Allegoria

ALLEGORIA MVNERVM OBLATORVM A MAGIS nato Christo Redemptori nostro.

ANnua natalis celebramus festa diei.
Christe λόγος Patris lux & imago, tui.
Qui cũ Patre Deus fueras ab origine prima
Cum nihil hoc cœlum, cum neq; terra fuit.
Condita totius per te fuit orbita mundi,
Per te formosi est machina facta poli.
Edita cœlestis per te promissio primum,
Cum uetitos fructus carpserat Eua, fuit.
Virgine, ais, ueniet (dictu mirabile) semen,
Vlcera quod sanet terrigenûmq; luem.
Aurea fulgentis referabit limina cœli,
Limina terribili clausa Adamante prius.
Humanum eripiet tenebris genus, improba claudet
Regna Stygis, manes cuebet inde pios.
Eijcietq; suo crudelem Marte Tyrannum,
Cuius capta dolis turpiter Eua fuit.
Hoc igitur longo promissum tempore semen
Patribus, ex casta uirgine prodit homo.
Natus & EmanuEl nobis, natusq; Redemptor,
Christus adest, hominis corpus & ossa gerens.
Salue Cœlicolûm dilecta ex omnibus una
Virgo Patri, salue Regibus orta parens.
Tu rubus ille procul Moses quem monte uidebat,
Ardentem,

Ardentem, nullo sed tamen igne petit,
Omnes illæsæ frondes in stirpe uirebant,
Læserat hanc tactu flamma nec ulla suo.
Tu uellus niueæ quondam impenetrabile lanæ
Nimbis, cum larga terra maderet aqua.
In tenebris lux orta noua est, nox cæca fugata,
Mortales igitur triste leuate caput.
Dicite Io Pæan lætantes, dicite Pæan,
Progenies nobis est noua nata Dei.
Nostra salus, requies, & uera redemptio Christus,
Placatum nobis nunciat esse Patrem.
Aequivalens etenim pro nostro crimine lytron
Factus olympiacas ille reducit opes.
Tartareum uincit minitantem sæua Draconem.
Conculcatq; tuum dira Megæra caput.
Cerberus exululans atram sub uentre recondit
Caudam, latratu regnaq; cæca mouet.
Angelici ueniunt cœli de culmine cœtus,
Gratatur Regi cœlica turba nouo.
Astitit hæc teneræ parienti turba puellæ,
Teq; fouet stipulis cum puer alme iaces.
Et te solatur cœlestis mater alumni.
Inter cum Brumæ frigora sæua sedes.
Non ubi lectus erat media regalis in aula,
Splenduit in thalamo gemma nec ulla tuo.
Aula tibi est stabulum, tibi sunt præsepia cunæ,
Et tua membra suo bos piger ore fouet,

Tristis

Tristis hyems Boreæ resonabat fortiter alis,
Hyberno tellus grandine tecta fuit.
Prælia nubiuagi uenti metuenda mouebant,
Omnis erat rigido frigore tectus ager.
Sed quid cessatis? sed quid dormitis inertes,
Bethlemiæ matres, Bethlemiæq; nurus?
Cur non fertis opem parienti totius orbis
Regem, quem uasti non capit aula Poli?
An non ueridicum meministis nuncia uatum?
Ex te nascetur Dux mihi Bethla breui.
Carice sed uobis sordet culmoq; palustri
Tecta domus, stabulum uos neq; triste iuuat.
Sed tamen huc ueniunt extremo Oriente profecti,
Quos nec terret hyems, nec uia longa, Magi,
Stella quibus natum monstrârat prævia Regem,
Et Bethlæ supra substitit alta domos.
Dona salutifero portabant ampla puello,
Qualia uel Regum uel capit aula ducum.
Aurumq; & Thuris glebas, Myrrhæq; liquorem,
En tibi curuato poplite Christe ferunt.
Te Reges etenim Regem testantur Eoi,
Aula licet non sit nec domus alta tibi.
Surgite mortales, puerumq; munisite Regem,
Dona parate Deo, dona parate Deo.
Virginis hic etenim grauidam descendit in aluum,
Vos ut ab æternis uindicet usq; malis.
Vos quoq; nunc aurum Christi ad præsepia ferte,

Hoc

Hoc Domino rursus libera turba sumus.
Illius & Legem, quouis quæ purior auro,
Nostra incorruptam discere cura siet.
Vestra sit ô homines Thus pingue precatio semper,
Rex etenim querulas audiet ille preces.
Eruet ille graui depressos mole dolorum,
Semper & afflictis auxiliator erit.
Vos modo bis genito uitam committite Regi,
Hunc precibus semper sollicitate pijs.
Omnibus his etiam Myrrhæ superaddite dona,
Vestraq; sit moles ardua, Myrrha crucis.
Mille pios clades, & mille pericla sequuntur,
Vos tamen hæc placido pectore ferre decet.
In medio præsens uobis est turbine Christus,
Tempore supremo mite leuamen erit.
Vera repurgati defendite dogmata uerbi,
Spernite Pontificum iurgia, bella, minas.
Vtq; canit Simeon, cum te concludit in ulnas
Christe suas, sancto quilibet ore canat:
O cœli soboles, aulæ stellantis alumne,
O puer, ô proles indubitata Dei:
Tu nos amne tui purgasq; lauasq; cruoris,
Tu liquidas aperis ad tua regna uias.
Ex optatus ades, nec nos præsagia fallunt
Vatum, nunc rapiant me mea fata licet.
Me nunc ad requiem uitæ, metamq; laborum
Dimittis, ueluti sæpe locutus eras.

Iam

Iam mea uiderunt promissum lumina Regem,
Qui spes Christiadæ uera salutis erit.
Lux erit in tenebris erranti splendida genti,
Et laus Isacidos maxima prolis erit.

Albertus Lenicærus Heruordianus, 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HEri decessit pius & modestus scholasticus Martinus Daluuitz Lucanus, consumptus ardenti febre, qui hodie efferetur hora duodecima. Is cum semper doctrinæ cœlestis studiosissimus fuerit, suam pietatem præcipue hoc morbi tempore, & in postremo agone declarauit seria inuocatione Dei & recitatione multorum dictorum, quæ ærumnosis et oneratis mole peccatorum consolationem adferunt, quibus se ipse erexit, habuitq; frequenter in ore uaticinium Esaiæ de Christo, quod hisce diebus in Ecclesia cantatum est: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater æternitatis, princeps pacis. Huic Immanuëli commendauit moriens animam suam. Quare dubium non est, quin iam in cœlesti schola fruatur lætissimo con-

N spectu

ſpectu Dei, & diſcat intelligere cauſas huius miran-
di operis, quod filius Dei uoluit aſſumere noſtram
mortalem naturam redimendi generis humani cau-
ſa. Decet autem nos ipſi hanc piam migrationem
gratulari, & hoc ultimum officium libenter præ-
ſtare, ut funus ipſius frequentes deducamus, & ſi-
mul noſtram infirmitatem, cauſas mortis et conſola
tiones in Euangelio contra hæc mala propoſitas piè
cogitemus. Quare hortamur ſcholaſticos, ut horæ
duodecimæ conueniãt ad ædes Iohannis Fauſti com-
pactoris librorum, habitantis iuxta uallum non
procul à Noſocomio Academiæ, Die 7. Ianuarij.
Anno 1555.

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS.

VVlt Deus adfici nos dolore propter alienas
calamitates, & cogitare ſingulos de com-
muni infirmitate, de cauſis ingentium mi-
ſeriarum generis humani, de peccatis noſtris, prop-
ter quæ cumulantur miſeriæ, & de fontibus conſo-
lationum, quos Deus monſtrauit. Vt autem Latro
impius in cruce ridet Sardonium riſum, in ſua &
Chriſti calamitate: Ita plurimi homines nec pro-
pria, nec aliena uulnera ſentiunt, & horribili furo-
re laxant frenos omnibus cupiditatibus, inter quos
illi,

illi qui ſe non emendant, tandem adficientur ſenſu
pœnarum tanto, ut dicturi ſint montibus: Cadite
ſuper nos, hoc eſt, ut optaturi ſint, ſe in nihilum
redigi poſſe. Hortamur igitur auditores noſtros,
ut aliorum uulnera cernentes, exuſcitent ſeſe ad co-
gitationem de ſuis erroribus, peccatis & periculis
& ſtulta, cæca, & perniciosa ſecuritate depoſita,
metu iræ Dei moueantur, inuocent mediatorem fili-
um Dei, ut pro nobis deprecetur, remittat peccata,
mitiget pœnas, ac faciat nos organa & templa Dei.
Non ad hoc conditi ſumus, ut ſimus organa & tem-
pla diabolorum, ſed ut ſimus organa et templa Dei.
Hoc igitur petite, ut in pectoribus ueſtris habitet
Deus, uos gubernet, et faciat nos uaſa miſericordiæ,
& ſalutaria uobis & alijs. Hæc & alia ſæpe mo-
nemus, & nunc in triſti luctu honeſtiſſimæ familiæ
uirorum clariſſimorum Doctorum iuris, Doctoris
Laurentij Lindeman, & Doctoris Antonij Freude-
man monere uoluimus, quorum adfici dolore nos
certe decet, mortua coniuge honeſtiſſima Doctoris
Antonij, quæ longo morbo conflictata eſt, & par-
tu coniugis honeſtiſſimæ Doctoris Laurentij tali, ut
commonefaciat nos de hac uoce Chriſti: Væ preg-
nantibus, qua in cogitatione ſuam quisq; matrem
& ſuas ſorores intueatur, imò communia pericula
huius poſtremæ ætatis, & ueris gemitibus & arden-
tibus uotis oremus filium Dei Dominum noſtrum

Iesum Christum, ut seruet inter nos aliquos pios cœtus, leniat pœnas, & spiritu suo sancto consoletur hos optimos uiros, qui Ecclesiæ & Reipublicæ fideliter seruiunt, & honestißimæ matronæ coniugi D. Doctoris Laurentij confirmet uires corporis & animi. Deniq; precemur, ut Ecclesia precatur: Ne accendas Deus totam iram tuam. Ne in furore tuo arguas nos, sed in ira tua misericordiæ recorderis, Nos enim lutum tuum sumus, & opera manuum tuarum. Tibi peccauimus, expectatio Israël, Saluator noster in tempore tribulationis. Tu in nobis es, & nomen tuum inuocatum est super nos: Ne relinquas nos. Hæc cogitanda sunt nunc in funere, quod fiet hora duodecima, ad quod ut conueniatis ante ædes uiri clarißimi D. Doctoris Laurentij, uos hortamur, ubi gemitus & preces uestras cum aliorum piorum gemitibus & precatione coniungatis. Die decimo Ianuarij, quo die ante annos 263. urbs Ierosolyma ab exercitu Regis Babylonici Nabuchodonosor obsideri cepit, durauitq; obsidio octodecim menses, etiam fame & pestilentia miserabiliter necante inclusam multitudinem Iudæorum, donec tandem urbs capta una cum templo direpta & exusta est, & populus in triste exilium abductus. Harum calamitatum consideratio in nobis excuscitet timorem Dei, & curam emendandi mores, & inuocandi Deum. Anno 1555.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

MIrando consilio Deus æternam Ecclesiam, sic, & non aliter, colligit, ut initia lucis æternæ in hac uita Euangelij uoce accendantur. Expetenda est igitur hæc uita, ut discamus & usu confirmemus doctrinam, & deinde propagationĕ adiuuemus, et communi societati seruiamus Hæc cogitantes orate Deum uitæ fontem, ut nobis concedat uiuendi spacia. Efficiat autem nos uasa misericordiæ, & tribuat Ecclesiæ pium statum, & honesta hospitia politica. Simul autem cogitate, non omnibus dari eadem uitæ spacia, & uelut in curßu alios citius, alios tardius ad metam uenire. Semper igitur parata sit mens, ut euocanti Deo obtemperet. Ideo scriptum est in Siracide: Non differas pœnitentiam, quia subito ueniet ira Domini. Etsi autem optandum erat, ut diutius uiueret adolescens Iohannes Matthæus natus in familia honesta Vuitebergæ, & cuius mores pij fuerunt, & studia doctrinæ fœliciter inchoata: Tamen cum Deus eum euocauerit ex hac uita, cum iam Euangelij doctrinam didicisset, ipse quidem ad portum non infœliciter peruenit. Sed nos precemur Deum, ut propter utilitatem Ecclesiæ, & communis societatis concedat longa uiuendi spacia multis bonis ingenijs, & ea gubernet.

Hæc hodie in funere Iohannis Matthæi cogitanda sunt, ad quod ut conueniatis hora duodecima non procul ab arce è regione molæ, uos hortamur, Datæ die 14. Ianuarij 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HOspites in muros ascendere uetustæ leges prohibent. Et multæ graues causæ sunt eius rei. Cum autem Scholastici nunc & cæruatim in aggere uagentur, & impediant operas publicas, seuere præcipimus omnibus, ne in aggerem ascendant, & ne operis in eo loco impedimento sint. Cogitent mœnia refici, ut & ipsorum corpora nostu tutiora sint, ne latrunculis irruptiones aut exitus pateant. Hæc beneficia considerent, nec petulantiam exerceant aduersus Magistratus, & aduersus ministros, qui seruiunt ibi ad protegenda ipsorum quoq; corpora. Deinde & hospites se esse meminerint, & cogitent certa esse officia debita hospitijs. Denicq; cogitent se iusticiam & modestiam præstare debere Deo, & communi societati. Non existiment sibi omnia licere, non lædant alios, non petulanter tumultuentur, non turbent tranquillitatem communem ciuitatis, non accersant sibi pericula, metuant etiam insidias diabolorum,

bolorum, qui odio Dei grassantur aduersus Ecclesiam, & præcipue infirmæ adolescentiæ nocere conantur. Facile ex leuibus occasionibus oriuntur cædes & multæ tristes tragœdiæ. Ideo Paulus inquit: Accurate ambulate, non ut fatui. Frenate cæcos impetus, & de Deo, de communibus miserijs, de uestris periculis cogitate. Excitate animos ad cõsiderationem immensæ bonitatis, quam ostendit Deus, cum generis humani massam filius Dei assumpsit, ut fœdus nobiscum faceret, & testaretur se uelle opem ferre inuocantibus. His cogitationibus miscete inuocationem, quæ ut sit ardentior, simus modesti, & infirmitatem nostram agnoscamus, ut in his uersibus audiuistis:

Nil sum, nulla miser noui solatia, massam
Humanam, nisi quod tu quoq; Christe geris.
Tu me sustenta fragilem, tu Christe guberna,
Fac ut sim masse surculus ipse tuæ.
Hoc mirum fœdus semper mens cogitet, uno
Hoc est, ne dubita, fœdere parta salus.

Datæ Vuitebergæ die
20. Ianuarij 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NOstra causa palàm cecinerunt hymnum cæsti Angeli ad cunas Christi, ut nobis præcentores essent, & ut uniuersa Ecclesia pectore & uoce eodem carmine Deum semper celebret, canet gloriam Deo, id est, eum recte agnoscat, & inuocet, amet pacem, & tueatur concordiam, ac lætetur Dei misericordia & præsentia. Talis est piorum Angelorum politia, talem & Ecclesiam esse uolunt. Cumq; præcipua pars sit Ecclesiæ scholasticum agmen, nos maxime decebat gloriam Deo canere, & tranquillos esse, neminem iniuria afficere, & communem societatem omnibus officijs foucre, lætari etiam hoc mirando fœdere, quod filius Dei nobiscum fecit assumpta massa nostri generis. Et in nostro cœtu aliquos esse tales, qui in choro piorum Angelorum recte canunt, non dubitamus. Sed dissimiles quidam admixti sunt, qui ueriùs sunt hostes doctrinarum, quàm scholastici. Tales alibi plus uoluptatiũ inuenirent, & gratum nobis facerent, si sponte hinc discederent, uel in Insulas fortunatas, uel εἰς κόρακας. Si arma & præsidia haberemus, cohercere petulantes maiore sæueritate possemus. Nunc tantum hoc possumus, publicè significamus eos, qui deliquerunt, relegari ac eijci ex nostro

stro cœtu, Etsi in hac horribili laxatione disciplinæ hæc pœna nimis leuis est. Adolescentem modestum Senatoris Brunsuicensis filium N. N. Bremensis uulnerauit, cum quidem ab ipso nec læsus, nec irritatus esset. Postea idem uocatus ad cognitionem causæ à Rectore, contempsit neruum Iurisdictionis. In utroq; delicto petulantia insignis est, quæ grauioribus pœnis punienda esset. Alius etiam N. N. Bremensis, tumultuatus in hospitio suo, & aliquoties uocatus ad iudicium Academiæ, contempsit & ipse neruum iurisdictionis. Volumus autem scire iuniores, uoluntatem Dei esse, ne iudicia & uitæ ciuilis ordo à Deo sancitus, contemnantur. Ideo ex hac Academia relegamus utrunq; annos octo. Oramus autem filium Dei Dominũ nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis, & resuscitatum, qui uere colligit æternam Ecclesiam uoce Euangelij, ut cum sit λόγος æterni patris, alloquens Ecclesiam, seruet aliquos cœtus honestos ipsum recte inuocantes, & puram Euangelij doctrinam piè propagantes, loquatur per nos, & nos faciat palmites suos, ac pectora & labores nostros gubernet, ut fœliciter seruiamus Ecclesiæ suæ, & reprimat diabolos hostes Dei, Spiritus mendaces incestos & homicidas, nec sinat eos dissipare agmina dedita studijs piæ doctrinæ.

Te maneat semper seruante Ecclesia Christe,
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.

Die 20. Ianuarij 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

ETsi natura hominum à morte abhorret, tamẽ quid senibus & ægrotis hac migratione optabilius esse potest? qua ex hac caligine, in qua de maximis rebus obscura initia doctrinæ habent, discedunt in illam clarißimam cœlestis sapientiæ lucem, in qua coram cernent Deum, & ideam opificij mundi lucentem in filio Dei, & causas huius mirandi opificij. Vt nocte iter facienti matutina lux gratißima est: ita multò magis nos lætabimur, cum illucescet ille dies lætißimus. Sed tamen uult Deus in his initijs uitæ disci elementa doctrinæ, nec aliter adi tus est ad illam æternam lucem, nisi in hac uita mens acceperit semina doctrinæ. Quare & huius uitæ spacia, discendæ & propagandæ doctrinæ causa, expetenda & recte regenda sunt, & mentes ad cœlestem sapientiam præparandæ sunt. Ac cogitemus quam triste sulmen sit, cum dicitur: Melius esset hunc hominem natum non esse. Quare excitemus nos ad aram discendi, & ad officia Deo grata, & ardentibus uotis precemur filium Dei, ut faciat nos uasa

misericordiæ. Hæc cùm alias sæpe, tùm uero etiam in funeribus cogitanda sunt. Fiet autem funus hodie hora 12. honestæ & piæ matronæ coniugi Bartholomæi Vogels, ciuis honesti, ad quod ut conueniatis, uos hortamur, & ibi suam uitam singuli Deo pijs precibus commendent, & petant, ut Deus semper inter nos colligat æternam Ecclesiam, & nos regat. Die Ianuarij 27.

PRORECTOR ACADEMIAE.

ETsi ærarium Academiæ tenue est, & non libenter oneramus sumptu scholasticos, tamen necesse est hospitibus miseris opitulari, ac præsertim ægrotantibus, ut monet narratio de Samaritano. Ferè biennio hic ægroti Belgici uestris Eleemosynis uixerunt. Plus toto Semestri ex ærario dedimus uictum hoc anno hospiti Belgico, qui discessit à Monastica εἰδωλομανίᾳ. Is nũc ægrotat. Nec iam à nobis deserendus est. Oramus igitur, ut uos quoq; Samaritano exemplo aliquid conferatis, ad alendum ægrotum. Hoc anno Dux VVirtebergensis in hoc genere liberalitatem erga Anglicos exules ostendit quibus Argentoratum misit octingentos Ioachimicos. Scitis Deo placere hæc officia, et liberalißimè ea compensari. Bene ualete. Mense Februarij.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

VIta fugax hominum est, magnorum plena dolorum. Et tamen adeò ferrei sunt animi plurimorum hominum, ut ne quidem tanta mole calamitatum communium & priuatarum moueantur, ut de causis, uidelicet, de ira Dei cogitent, & flectant animos ad pietatem. Quare mundo cumulantur pœnæ. Ac inter has, etsi Ecclesia suas etiã ærumnas sustinet propter multas causas: tamen & mitigationem sentit, et multi iusti morte præripiuntur, ne uideant impendentes publicas pœnas. Scribitur Maria mater Christi decessisse ex hac uita anno ætatis suæ 59. Vixisse igitur existimatur circiter annos septem, postquam filius ex morte reuixit. Vidit & gubernauit initia Ecclesiæ, deinde cum & fames in Asia & Europa grassatura esset, & in Iudæa motis seditionibus multi ciues interficerentur, & Ecclesiæ præcipua pars Antiochiam migrasset, ipsa, ne spectatrix esset earum calamitatum, ex hac mortali uita euocata est. Nunc quoq; in Pannonia sæua lues grassatur, ut pij Turcicæ tyrannidi eripiantur. Ac heri honesta & pia matrona in inuocatione filij Dei assidua decessit, Heua nata in familia honesta Mansfeldensi, coniunx uiri honesti & eruditi Magistri Mauritij Heiling, quæ cum fuerit insigne exemplum piæ matronæ, & iuuerit Ecclesiam ardentibus uotis, doleamus non solum propter mariti, & sobolis orbitatem, sed etiam propter nos, quòd tali socia ueræ inuocationis in hac uisibili Ecclesia orbati sumus, & metuamus ea, quæ impendent. Nam multæ significationes rursus hoc anno tristia bella minantur, in quibus ut protegat aliquos suos cœtus in his regionibus filius Dei, toto cum pectore oramus. Extrema hæc ætas est mundi, non quietior quàm erat politia Iudaica circa Mariæ mortem. Hæc ingentia pericula cogitemus, & ueris gemitibus oremus Deum, ut in ira misericordiæ suæ memor sit, & pœnas mitiget, & parcat nobis, quia in filio fœdus fecit cum natura humana, quam ideo filius assumpsit, ne penitus deleretur genus humanum ac singuli hanc commonefactionem sæpe cogitemus:

Nil sum, nulla miser noui solatia, massam
Humanam nisi quòd tu quoq; Christe geris.
Tu me sustenta fragilem, tu Christe guberna,
Fac ut sim massæ surculus ipse tuæ.
Hoc mirum fœdus semper mens cogitet, uno
Hoc est, ne dubita, fœdere parta salus.

Hortamur autem Scholasticos, ut ad funus hodie hora quarta ante ædes Magistri Mauritij, quæ sunt ad uallum sitæ in platea, quæ à figulis nomen habet, conueniant, & in hoc congressu etiam se ad precationem

precationem singuli excuscitent, cogitatione communium & priuatorum periculorum. Anno 1555. Die 17. Februarij, Pridie eius diei, quo ante annos 9 Reuerendus uir dominus D. Martinus Lutherus, ex hac mortali uita euocatus est, cuius mortem quàm multa subita & magna mala secuta sint, proh dolor, res ipsa ostendit. Simus igitur memores dicti: Orate, ut possitis effugere uenientes calamitates.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi M. Caspar VVilhelmus.

Dies hic est decimus octauus Februarij, quo ante annos 9, ex hac militia uitæ mortalis euocatus est ad Ecclesiæ cœlestis societatem Reuerendus uir Doctor Martinus Lutherus, cuius uoce filius Dei restituit Euangelij doctrinam. Etsi autem quotidie cogitanda est Ecclesiæ historia, & grata prædicatione celebranda est bonitas Dei, quod se patefecit, quòd misit filium, quòd filius ὁ λόγος æterni patris seruat, & subinde restituit ministerium Euangelij & colligit æternam Ecclesiam, tamen hoc die præcipue de restitutione Euangelij facta hoc tempore cogitandum est, & mentes

mentes ad gratitudinem, & precationem excitandæ sunt, ac petendum, ut filius Dei suam cymbam, quæ præsertim post Lutheri mortem sæuissimis tempestatibus quassata est, non sinat opprimi. Secuta sunt bella, deinde horribiliora bellis dissidia docentium. Nec prospici finis aut bellorum aut dissidiorum potest. In uicina Bohemia centum & septuaginta uiri docti & pij ex Ecclesijs pulsi sunt. Horum multi iam cum miseris familijs uagantur in exilijs. Hæc sæuicia etsi atrox est, tamen atrociora mala sunt domestica dissidia & odia inter se docentium, quorum horribilis est acerbitas. Accedit ad hæc disciplinæ & doctrinæ contemptus, inter eos, qui sunt in uera Ecclesia. Inter hos fluctus tamen filius Dei seruabit Ecclesiam suam, quæ ibi & frequentior & ornatior erit, ubi doctrinæ studia piè colentur. His cum seruiant nostri labores, scholastica exercitia non negligenda sunt. Cum igitur hodie hora prima futurum sit publicum examen, petimus, ut Collegæ & alij honesti & docti uiri accedant. Die 18. Februarij.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

CVm filius Dei Dominus noster Iesus Christus pendet in cruce, non solum corpore lacerato & uulnerato cruentus, sed etiam tantos in corde dolores sustinens, ut exclamaret: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Astant mater, matris soror, Iohannes, & pauci alij pij, qui hoc triste spectaculum intelligunt, & ingenti dolore adficiuntur. Prodigia etiam in natura corporum mundi Deus ostendit, ut pœnas impijs minitetur: Sol contra naturæ ordinem lucem amittit: Terra horribili motu quassatur: Interea alij fodiunt Christum: alij derident: alij ludunt de uestibus eius. Ita nunc quoq; in publicis Ecclesiæ calamitatibus pij & docti in magno dolore sunt, ut scriptum est: Angeli pacis amarè flebunt. Interea alij multi sæuiciam exercent in pios, alij nos rident, alij furenter ludunt, quo in numero sunt hi quoq;, qui nunc tanto luctu Ecclesiæ Bacchanalia agunt, belluantur, grassantur armis, & interdiu & noctu discurrunt laruati, circumferunt tesseras, & mußitantes ludunt. Nec tantum quietem ægrotorum, senum, & puerperarum turbant, sed etiam obuios uulnerant, denique uariè tumultuantur, suo & publico periculo. Tales autem sæueritate Magistratuum, qui arma tenent, &

& cohercendi & puniendi erant. Et speramus Magistratus toties iam irritatos aliquando fore acriores. Nos interea modesta ingenia hortamur, ut diuina mandata cogitent, quæ prohibent rixas & iniurias, præcipiunt etiam, ut mentes sint compositæ ad piam precationem, quæ certe necessaria est, ut inquit Dominus: Orate, ne intretis in tentationem. Præcipiunt etiam, ut Magistratibus & legibus, pacis publicæ causa latis, omnes obediant. Honestißimo autẽ consilio prohibemus tumultus diurnos et nocturnos, et laruatorũ discursationes & ludos. Ac Deo iuuante seuerè puniemus eos, qui contra hoc edictum facient. Talis petulantia in tantis publilcis calamitatibus! furor est similis furori militum, qui Christum in cruce pendentem derident, & qui ludunt de uestibus eius. Quanta turpitudo est, figuram à Deo conditam, & eius similem induit filius Dei λόγος, ostendens se generi humano immensa bonitate, deformare laruis, & uelut spectrum obuersari oculis honestorum hominum, & ocultatio & mußitatio in ludo insidiarum speciem habent. Deniq; tota hæc imitatio Bacchanalium & Lupercalium alienißima sit ab omnibus, qui uerum Deum inuocant. Et quidem cohorrescere omnes pios oportebat, cogitantes, tantas fuisse tenebras, tantam diabolorum potentiam, ut homines illa tetra spectacula Bacchanalium & Lupercalium tulerint. Expauescamus illa horribilia

ribilia exempla audientes, & ueris gemitibus petamus, ut nos filius Dei Dominus noster Iesus Christus gubernet uoce sua, & Spiritu suo Sancto, ne eos ritus amemus, quibus extinguuntur ueri Dei inuocatio, pudicicia, et aliæ uirtutes, & qui sunt tyrocinia multorum scelerum. Nos igitur te fili Dei Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis & resuscitate, qui ucre colligis tibi æternam Ecclesiam uoce Euangelij, oramus, ut nos gubernes, & tribuas Ecclesijs honesta & tranquilla hospitia, & iuues pia studia doctrinæ, cum sis λόγος æterni Patris, & immensa bonitate ex arcano consilio diuinitatis protuleris Euangelium. & ostenderis ingentem amorem tuum erga nos admirando beneficio redemptionis, de quo æternam tibi gratitudinem debere nos fatemur. Die 24. Februarij, Anno 1555

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia VViteбergensi Caspar Guilhelmus. Hallensis &c.

NArrant fabulam de Thoma Aquinate Monacho, qui mortuus est anno à natali Christi 1274. die 7. Martij, conspectam esse hanc speciem ea ipsa hora, qua mortuus est: Visum esse ipsum Thomam in Cathedra usitata legentem & ingressum

& ingressum esse Paulum in auditorium. Hunc cum interrogaret Thomas, recte ne interpretatus esset ipsius scripta, respondit Paulus, rectius cæteris omnibus, & tantum uidisse eum, quantum in hac uita intelligi posset. Sed nunc eum secum iturum esse in cœlestem scholam, ubi maior lux fulget. Atq; ita cum Thomas cum Paulo ex auditorio egrederetur, & monachi utrunq; retinere conarentur, ambos euanuisse scribitur. Postea compertum est, eadem hora Thomam mortuum esse. Credibile est non esse consulto fictam hanc narrationem, sed somnium esse auditoris alicuius, qui Thomam magni fecit. Sed doctrinam Thomæ in multis materijs dissentire à Paulo, manifestum est. Iubet autem Paulus probare Spiritus, an ex Deo sint, & præcipue iudicari possunt ex dogmatibus. Scribit alicubi, Christi mortem fuisse Sacrificium pro peccatis ante eam factis. Postea oblationem in Missa sacrificium esse pro peccatis sequentibus eam. Præcipue etiam confirmauit ἀργο λατρείαν, cum Papa Vrbanus IIII. circumgestationem instituit. Et possent multa recitari eius tetra errata. Ac moles librorum, uitæ eius breuitas ostendunt, defuisse ei diligentiam & iudicium. Vixit tantum quinquaginta annos, & scripsit magnos aceruos librorum. Sed apparet pleraq; ex alijs tantum descripta, & consarcinata esse. Et oratio non solum squalida est, sed etiam ita confusa

confusa, ut sæpe non intelligatur. Negligentia autem in exponendo significat temeritatem in pronunciando. Quare certissimum sit, Paulum ei non tribuisse testimonium illud honorificum, quod in illo somnio seu fabula narratum est. Hæc, cum nos dies de morte Thomæ admoneret, eò recensuimus, primùm ut uos gratias Deo agatis, quod genus doctrinæ puríus nobis dedit. Deinde, ut cogitetis Ecclesiæ opus esse eruditione, & petatis à Deo, ut studia uestra gubernet, & simul excitetis discendi curam, & fontes quæratis, ut recte formentur iudicia, & intra metas doctrinarum uos contineatis. In hac delira & languida mundi senecta, nunc præsertim, cum est ἀναρχία, multæ tristissimæ confusiones oriuntur à petulantia ingeniorum, ac plerunq; indocti sunt audaciores, ut dicitur: ἀμαθὲς θράσος ἀπεργάζεται. Aduersus hæc mala, & eruditione uos instruite, & animos ad modestiam adsuefacite, considerata magnitudine & rerum, de quibus homines docendi sunt, & periculorum, & uoluntatem Dei intueamini, qui horribiliter punit eos, qui ueritatem corrumpunt. Sint etiam animi nostri erecti firma spe, & certo statuant, filium Dei reliquias Ecclesiæ suæ in his regnorum ruinis seruaturum esse, & quidem ibi seruaturum esse, ubi erit uox doctrinæ incorrupta, & ad discendi curam accedet ardens inuocatio Dei. Scimus autem inter hos,

hos, quorum iam exploratum studia, multos esse recte eruditos, & uera inuocatione Dei, & honestis moribus ostendere pietatem suam. Ideo his, quorum adscripsimus nomina, publicum doctrinæ testimonium tribuemus, & eis gradum Magisterij philosophici, quod faustum & fœlix sit decernemus die Mensis Martij quinto. Ad hanc renunciationem testimonij, ut conueniatis, uos hortamur, & pia precatione Ecclesiam & studia horum, & uestra Deo commendetis, Anno 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Citant Irenæus, & Epiphanius testimonia Germanicarum Ecclesiarum suæ ætatis, unde consentaneum est, statim per Apostolorum discipulos propagatam esse doctrinam Euangelij in bonam Germaniæ partem, & ut in gente, cuius grauitas tunc laudata est, non statim receptas esse corruptelas. Et legimus Maternum Petri auditorem Argentorati, & in urbe Colonia Agrippina Euangelium docuisse. Marcum Pauli comitem in Confluente Oceni, & Danubij, ubi nunc est oppidum Passau. Lucium Cyrenæum in urbe Augusta Tiberia, quæ nunc est Regenspurg. Crescentem Moguntiæ. Lazarum resuscitatum in urbe Massilia. Cum igitur

igitur & olim Ratispona piè amplexa sit Euange-
lium, & nunc recens magno cum periculo purane
Euangelij uocem receperit, amanda est ea urbs, &
piorum precibus iuuanda. Libenter etiam studia
ciuium, qui inde huc mittuntur, iuuamus. Dedit se-
natus stipendium filio senatoris benemeriti Seueri-
no Vinitori honesto & studioso adolescenti. Sed cui
natura corpus imbecille fuit. Ideo consumptus est
longa pthisi, & anno climacterico, uidelicet uice-
simo primo extinctus est. Ostendit autem animi piet-
tem adsidua inuocatione filij Dei, & antea in cur-
su studiorum, & nunc in morbo. Vtq; piè fune-
ris ceremoniæ fiant, hortamur Scholasticos, ut ho-
die hora tertia conueniant non procul à domo seni
honesti ciuis Blasij Matthæi. Die 13. Martij, quo
Sol & Saturnus proximè coniuncti sunt. Anno

1555.

AD IESVM CHRI-
STVM ELEGIA, PRO AEGRO-
tante filiolo.

CHriste puer nasci nostra dignate figura,
Nobiscum gaudes qui Deus esse puer.
Qui regnũ pueris cœleste infantibus offers,
Corq; adeo nullum, ni puer ascat, amas.
Ecce meus mecum te poscit Honorius infans
Languidus,

Languidus, humana non recreandus ope.
Ille tuum ut uero nomen celebraret honore,
Hoc tecum ex icto fœdere nomen habet.
Aegra laborabat uicini tempore partus,
Militiæ coniunx fida ministra suæ.
Spemq; metumq; inter palmas ad sidera tendens,
Fundebam crebras corde trementæ preces.
Inq; tuo nutus cœlestis amore quiescens,
Vltima claudebam talibus ora sonis:
Haud nobis Domine, haud nobis debentur honores,
Perpetuo est dignum nomen honore tuum.
Te mihi dantæ recens qui nunc nascetur, honori
Debebit speciem nominis omne tuo.
Hæc ita dum meditor, læto noua gaudia nutrix
Nunciat, es nato suauiter auctus, ait.
Fontis aqua uiua uerbi uirtute lauandus.
Offertur uigili dum tibi Christe fide,
Nomen & inde bonum suscepit Honorius omen,
Vt caneret uero nomen honore tuum.
Quid meritus miser est, spacium quod parcius æuũ
Quàm pueris alijs, debeat esse meo?
An mortem ætatis primo sub flore subibit,
Me reus immundo quod patre natus homo est?
Ecce omnes massa una sumus, quoscunq; parentes
In lucem humano progenuere modo.
Vasa tamen ueniæ, uita sibi deligit autor,
Officio quorum gaudet ubiq; Deus.

Organon hic etiam diuino præstet honori,
Cur hominum moleras plurima monstra Deus?
[illegible] ore pios celebrans & pectore cultus,
[illegible] tuum discat Christe docere decus.
[illegible] si aliter statuit iam pridem augusta uoluntas
Qua patrem & natum mutuus unit amor:
Non ipsi inuideo cœlum, quod possidet ante
Iure tuo, fratrem quo facis esse tuum.
Fecit quod uoluit, qui terram & sidera fecit,
Vera salus, quidquid uultq; facitq; Deus.
Da Deus hoc unum, tuo ut hoc in amore quiescens
Tranquilla fileat cor tibi mente meum.
Cur anime horrescis? non oppugnaris ab hoste,
Et mouet, & ludit, dum mouet arma, Deus.
Vt pater, adfligis Deus, at non perdis alumnos,
Ringeris, & nunquam desinis esse pater.
Quod dolet exiguum est, plus est quod tristia lenit,
Temporis ira tua est, gratia fine caret,
Teq; à morte puer nuper reuocante reuixit,
Qui nunc ægroto corpore strata premit.
Vera tibi dicant gratæ præconia gentes,
Tu uitæ imperium, tu quoq; mortis habes.
Et sumus, & tecum tua pars sine fine manemus,
Seu tibi nos placeat uiuere, siue mori.

27. Martij, Anno 1555.

Iohannes Stigelius.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

REcitantur in omnium sapientum literis & sermonibus multa præconia amplissima disciplinæ, sed omnium summa hæc sunt, quod sapientiæ & iusticiæ Dei, qui hanc uitæ normam nobis tradidit, parere nos rectum est, qui quidem hos radios suæ sapientiæ in nos transfudit, ut testentur hunc mundum non extitisse casu, sed uerè esse mentem Architectatricem mundi & generis humani, & doceant, qualis sit illa mens, & quod iudicet hominum facta. Deinde Paulus addit hanc laudem, Legem esse pædagogiam in Christum, quod de disciplina in Ecclesia Dei dicit, ubi cum disciplinæ gubernatione simul doctrina de filio Dei proponitur, & mores frenantur, ut sit efficax filius Dei. Harum laudum amplitudinem nullius hominis eloquentia satis exponere potest, sed bonæ mentes cogitent, quæ sit uoluntas Dei, & quomodo ipse sit in nobis efficax. Ad hos fines labor omnis Ecclesiæ in disciplina tuenda refertur, ac præcipue scholarum, quæ uerissime sunt pædagogiæ in Christum. Quare bonæ mentes, & scholæ & salutaris disciplinæ frenos, qui in Scholis proponuntur, amare debent. Vtilissimũ est iunioribus adsuefieri ad hanc sapientiam & uirtutem, ut intelligant, quam grata Deo

sit hæc obedientia, & consideratio sapientiæ & iustitiæ ipsius, & ament hunc pulcherrimum ordinem cum uoluntate Dei congruentem & necessarium ad accipienda & retinenda beneficia filij Dei. Plato inquit, optimum esse ciuem, qui omnibus uictorijs & triumphis antefert laudem, quod legibus patriæ fideliter obtemperet. Nos uero in Ecclesia Dei, sciamus hanc diligentiam non solum in hac societate ciuili magnum decus esse, sed etiam ideo necessariam esse, quia sit pædagogia ad agnitionem & beneficia filij Dei, quia non est efficax filius Dei in his, qui non desinunt frenos laxare prauis cupiditatibus. Vt igitur Leges Academiæ uobis notæ sint, quæ disciplinæ causa conditæ sunt, præcipimus omnibus scholasticis, ut hodie hora duodecima in auditorio collegij maiori conueniant, ubi legum recitationẽ audiant, & commonefacti doctrina cœlesti, animos ad obedientiam flectant, quibus scriptum est: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, & magistratus, Deo iuuante, contumaces punient, quia uerissimum est dictum Aeschinis, quod Demosthenes citat. οὐδὲν ἔστιν ὄφελος πόλεως, ἢν μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχῃ. Tunc autem gubernatio fœlix est, cum à filio Dei iuuatur, sedente ad dextram æterni patris, ut dona det hominibus. Ideo oro eum toto pectore, ut hos cœtus doctrinam Euangelij discentes, seruet & regat

regat ipse, & sua dona inter nos deleri non sinat. Gemitus nostros etiam exaudiat, & nos iuuet, qui ne studia doctrinæ hic extinguantur, malumus hunc cœtum piè foueri, quàm temere dissipari, sicut scriptum est, μὴ ἐγκαταλιπόντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἡμετέραν.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

MEministis nomen Iohannis Oecolampadij, qui Erasmum adiuuit in editione annotationum, in quibus multa dicta Noui Testamenti recte illustrata sunt, etiamsi quid alicubi desideratur. Et erant in eo uiro Erasmi amico, cùm aliæ multæ uirtutes, tùm uero modestia eximia. Hunc honestum senem referebat & facie & modestia iuuenis honestus Iohannes Oecolampadius, natus ex patruo illius celebrati Oecolampadij, sed alteri patria fuit non procul à Mœno. Et tamen similitudo naturæ in utroq; fuit, & similes fuerunt ἀρεταὶ φυσικαὶ. Tanta uis est stirpis, ut dicitur: Est in equis, est in iuuencis uirtus parentum. Cum autem hic adolescens heri ex hoc nostro qualicunq; agmine ad cœlestem Academiam euocatus sit, hortamur Scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora duodecima conueniant ad Balneum uicinum Collegio,

collegio, ubi recordatio totius istius militiæ multorum bonorum uirorum, qui illustrare doctrinam Ecclesiæ, inde usq; ab Erasmi & Lutheri initijs studuerunt, accendat uos ad precationem, ut ardentius petatis, ut filius Dei uos ipsos & studia uestra gubernet, & non sinat extingui ueræ doctrinæ lucem, & ut faciat, ut in ipso unum simus. Die 9. Aprilis. Anno 1555.

ITER CHRISTI EX DESERTO HIEROSOLYMAM redeuntis, considerandum in lectione passionis & resurrectionis Christi.

DIE IOVIS X. MARTII IOHANNIS X. ET XI.

NVnc aderat Christi postremus in orbe docentis
Annus & ad miseram nunc erat hora necem.
Exul fluctiuagi rapidas ad Iordanis undas
Peruenit, hic iterum nuncia mœsta capit.
Lazarus æger erat, Christus solatur amicos,
Esse feræ mortis nulla pericla refert.

DIES VENERIS XI. MARTII IOHANNIS XI.

Iordanis

Iordanis ad fines ubi plurima tinxerat ante
Millia præco Dei, Christe benigne manes.

SATVRNI XII. MARTII MATTHAEI XIX. MARCI X.

CHriste moraris adhuc, et sabbatha sancta celebras,
Hic dominũ tentas quid Pharisæe tuũs (bras,
Sed responsa tibi Christus uerissima reddit,
Esse tuo memorat pectora dura gregi.
Hic etiam pueros placidis complectitur ulnis,
Talibus & cœli regna patere sonat.

SOLIS XIII. MARTII LVCAE XVIII ET XIX.

LAzarus emoritur, tacite quod sentit Iesus,
Discipulisq; refert iusta peracta suis.
Hinc iter instituit properans â Iordane rursus,
Erepto fatis reddere fata cupit.
Hierichuntis agros dum conficit, inter eundum
Restituit cæco lumina, plena fide.
Mœnia mox intrat, subit hic pia tecta Zachæi,
Donec equos reuehat Phœbus Apollo suos.

Lunæ

ANNO 1555.

LVNÆ XIIII. MARTII MATTHAEI XX. MARCI X.

EGrediens urbem rursus, iam lumina cæco
Reddit, & hic fidei robora firma probat.
Postea progressus cæcis pie Christe duobus
Restituis uerbo lumina clara tuo.

MARTIS XV. MARTII.

CEu peregrinator nunc hinc, nunc inde reuersus
Versat iter Christus, Bethaniamq; petit.

MERCVRII, XVI. MARTII IOHANNIS XI.

BEthaniæ gratas Christus peruenit ad ædes.
Lazare de tumulo iam reuocate redis.

IOVIS XVII. MARTII IOHANNIS. XI.

NVnc Iudæorum festi uenit hora diei,
Nec tamen ingressus mœnia Christus adit,
Auia desertæ rursus pertransit eremi,
Impie nec festum curat Apella tuum.
Pontifices Christum quæri tolliq; superbis
Mandatis lingua uituperante, iubent.

Veneris

ANNO 1555.

VENERIS XVIII. IOHANNIS XII.

BEthaniam Christus rediens discedit eremo,
Sollicitæ Marthæ tecta petita subit.

SATVRNI XIX. IOHANNIS XII.

BEthaniæ tandem celebrat pia sabbatha Christus,
Et domino cœnam Martha, sororq; parant.
Proditor hic sensus & mentem prodit Iudas,
Ac male fert ungi iam tibi Christe pedes.
E Solymis homines adcurrunt, quisq; uidendi
Te cupidus, functos qui reuocare potes.

SOLIS XX. LVCÆ XIX MATTHAEI XXI.

INgreditur Solymas Rex uili uectus asello
Inchoat & pompa simplice regna Dei.
Institor eijcitur, flet templi funera Christus,
Totius & terræ fata futura uidet.
Egrederis rursus ceu mœnia tetra perosus,
Bethaniæ somnum Rex uenerande capis.

LVNÆ XXI. MATTHAEI XXI. VSQVE AD XXVI.

MAne redis Solymas, & ficum fruge carentem
Omni perpetuo fruge carere facis.

Indæ

Inde ſacerdotes ſacra compeſcis in æde,
Et uincis uerbo millia multo tuo.
Egrederis tandem templo, montemq; reuiſis
Nobile cui fragrans nomen oliua dedit.
Hic quoq; prædicis Solymarum Chriſte ruinam,
Pernoctans lacrymis ora genasq; rigas.

MARTIS XXII. MARTII, MATTHAEI XXVI. MARCI XIIII.

Villa Bethaniæ leproſi tecta Simonis
Intras, & cœnam Chriſte uerende capis.
Hic mulier de marmorea tibi pyxide promit
Vnguentum, faciem quo linit ipſa tuam.
Diſcipulis fruſtra fieri res iſta uidetur,
Sed tibi, non alijs cognita cauſa fuit.

MERCVRII XXIII. MATTHAEI XXVI. LVCAE XXI.

In templo pie Chriſte doces, dum ſplendet Apollo,
Nocte in Oliueto uota precesq; facis.
Pontifices ineunt cum tetro fœdus Iuda,
Vt dominum ficta prodere uoce uelit.

IOVIS XXIIII. MARTII.

Azyma nunc debent celebrari, paſcha celebras
Chriſte Deus, cœnam diſtribuisq; tuam.
Abluis

Abluis ipſe pedes ſeruorum ſerue tuorum.
Vniſonis ipſos mentibus eſſe iubes.
Hinc ad Oliuetum precibus ſudantibus inſtas,
Heu mihi pro nobis pondera quanta gerus?
Diſcipuli ſomnum capiunt, tu mille dolores,
Mille cicatrices, mille pericla ſubis.
Quid facis ô Iuda, te trux abſorbeat orcus,
Prodere tu Dominum num ne uerêre tuum.

VENERIS, XXV.

PRo nobis Chriſtus ſe patris ſubijcit iræ,
Et patitur mortem, uulnera, probra, crucem.
Viuimus ipſius nos omnes morte renati,
Non quia nos digni, ſed quia mitis erat.

SATVRNI, XXVI.

SAbbatha magna Dei nunc ſunt, nunc Chriſte quies
Et te ſublatum mors ſuperata putat. (eſcis,
Militibus munit tumulum fex impia mundi,
Sed temerè, & fruſtra quod facit, omne facit

SOLIS, XXVII.

DEleta victor rediuiuus morte reſurgis,
Hoc duce iam Sathanas victus, & ictus obit.
Chriſtus adeſt, ſæua Chriſtus de morte triumphat,
Dicite nunc læto pectore, Chriſtus adeſt.

τέλος θεῷ δόξα

Nicolaus Selneccerus.

P Rector

RECTOR ACADE-MIAE VVITEBERGENSIS.

SVnt aliqui cœtus sunt quæ Deus agmina seruat
Vnanimi semper consociata fide. (tor
Quandoquidẽ sapiens, nõ uult extinguier. Au-
Quod prius humanum condidit ipse genus.
Quamuis innumeræ, per tot iam secula, Gentes
Persuasæ uana relligione, ruant,
Atq; Deum contra insurgant immanibus ausis,
Effera quô furijs mens agitata rapit.
Triste quidem poterat, poterat res mira uideri,
Tam paucos, longo tempore, nosse Deum.
Quos tamen afflatos uitali condidit aura,
Aeternumq; sibi uiuere iußit opus.
Insuper impreßit uestigia plurima menti,
Vnum quæ poterant arguere esse Deum.
Nunc quoq; Teutonicis, nimis ah nimis horrida ter-
Bella Giganteo mota furore fremunt. (ris,
Mœstaq; turbatur latis Germania campis,
Hei mihi quem finem Mars truculente facis?
Tu tamen ô pacis Princeps mitißime, nobis
Gnate Dei, pacis commoda grata dabis.
Commoda grata dabis pacis, pars certa tuorum,
Turbaq; quæ placide pascha celebret, erit
Dicite uos grates Patriq; Nato coæuo,
Cuius parta redit sanguine nostra salus.

Crebro

Crebrò uolutantes animis & pectore tantum,
Quo nullum maius uidit hic orbis, opus.
Quod diuersi adeò massam coiere sub unam,
Et Deus & miro fœdere iunctus homo.
Induit humani generis sine crimine massam,
Aeterno æternus de Genitore λόγος.
Ostendens sese ne mens incerta uagetur.
Quémue Deum quærat, nescia, quóue loco.
Nunc quoq; grata Deo mens sit, quo pristina nobis
Vindice libertas restituenda uenit.
Flagrantem patrio restinxit pectore flammam,
Vtq; sit offensi mitior ira, facit.
Hic superans uictor rabiosæ spicula mortis
Noxia, sed tanto non nocitura Deo,
Vincet, & in nobis, æternæ gaudia uitæ,
Cum lapsis iterum restituenda, dabit.
O decreta Dei miranda, ô nullius unquam
Eloquio linguæ res celebranda pari.
Verum pectoribus nostris assensio crescat,
Crescat & innocua cum pietate fides.
Quæ tantum meditetur opus, uoluatq; subinde
Nec sese auelli, spe titubante sinat.
His uotis instructa Deum mens casta precetur,
Cui nunc solenni more nouatur bonos.
Pace opus est, pacem nostris orate diebus,
Ne uis Teutonicos impia uastet agros.
Seraq; posteritas, fugiat, studiosa quietis

Semina funesti pernitiosa mali.
Quin potius custos doctrinæ, tradita dextrè
Proponat simili dexteritate suis.
Nunc quia præstari debet mens grata ministris,
Qui spargunt uerbi semina pura Dei:
Quisq; manu casta castas adportet ad aras,
Vt det, officij debita signa pij

In Paschate, quod est ab exitu israëlitarum ex Aegypto pascha 3064.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

VIta fugax hominum est, magnorum plena dolorum. Nec ullum habet durabile bonum, nisi hoc, quod iter est ad æternæ Ecclesiæ societatem his, quorum mentes in hoc breui curriculo semina doctrinæ de Deo accipiunt. Hoc enim ordine, & non aliter Ecclesia æterna generis humani colligitur. Sit igitur hæc cura præcipua omnium, ut pectora rectè instruantur doctrina de Deo, & initia lucis diuinæ petamus. Verissimum est enim uetus dictum: Omnia prætereunt præter amare Deum. Sic uixit honestus adolescens, natus patre consule Sangerhusano Dauid Baldersleben, ut cum sentiret se corpus habere morbis obnoxium (diu enim circumtulit scirrum & Epatis & Splenis)

nis) auide disceret doctrinam de Deo, & assidua precatione se confirmaret. Probati sunt mores eius uiro præstanti prudentia & uirtute Christophoro Moshawero, in cuius familia circiter sexennium degit. Nunc quoq; cum morbi uis superasset naturam, & splenis tumor ualde creuisset, ostendit robur animi multis uirtutibus. Patienter Deo se obediturum dicebat, cum quidem uideret, certo breui moriendum esse, & se filio Dei assidua inuocatione commendabat, sæpe repetens dictum: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit &c. Sæpe Symboli recitatione se confirmabat, & confessionem ostendebat, multa etiam de futura uita differens, dicebat se expetere illam lucem, ut qui nocte iter faciunt in locis ignotis, auroram expetunt. Etsi autem ipsi gratulanda est migratio ad cœlestem Academiam: tamen nos dolea-
mus amisso tali commilitone, & orenus Deum, ut bona ingenia posteritati seruet. Hortamur autem, ut ad funeris ceremonias ante Collegij ædes hora 12. conueniatis, & in eo congressu singuli & Ecclesiam & suam uitam Deo commendent. Die Aprilis 17. Anno 1558.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

DEcessit ex hac uita honestus uir Senatorius oppidi Benno Ritter, qui in senatorio munere fidem & assiduitatem præstitit, & priuatam officiosus homo fuit, & Deum uera agnitione & fiducia Mediatoris inuocauit. Hortamur igitur auditores, ut ad funeris ceremonias conueniant antè ædes eius ciuis hodie hora quarta. Est & uiri honesti ac eruditi M. Matthæi Blochingeri filiolus Nicolaus mortuus, de quo parentes hanc consolationem diuinam tenent: Non est uoluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis. Eadem hora & huius infantuli corpus sepelietur. In his funeribus singuli & uitam suam & Ecclesiam Deo commendent, & de pœnitentia adsidue cogitemus, sicut scriptum est in capite quinto Syracidæ: Ne differas pœnitentiam. Quia subito ueniet ira Dei, & si negliges, peribis, & iubet filius Dei, ut sint in manibus nostris Lãpades paratæ. Die 27. Aprilis 1555.

CASPAR PEVCERVS STVDIOSIS MATHEMAthum, S. D.

HOmerus & cœli fastigium monstrauit, & latera distinxit, nominans duo sidera maxime conspicua. Vrsam collocat in fastgio, quia ait eam non mergi in Oceanum. Et cum huic tribuisset partem Arctoam, è regione collocat Orionem, uolens haud dubie & cœli axem, & hæc sidera omnibus esse notissima. & laterum distinctionem conspicuam esse. De his dulcissimis inicijs arcium, quæ sunt ualde utiles uitæ, nos quoq; sæpe monemus adolescentiam, iubemus aspici pulcherrima sidera, agnosci opera Dei, & celebrari Deum, quòd hæc pulcherrima corpora condidit, quòd ordinauit dierum, noctium, æstatis & hyemis uices, annuas fœcundationes terræ, quòd luminum motu distinxit annos, quòd siderum positu cœli latera distinxit, & terræ spacia & regionum interualla & metas monstrauit. Ex his initijs oriuntur & doctrina de Anno, & Cosmographia, quibus carere hæc uita non potest. Et hæ artes ab Arithmetica & Geometria sumunt demonstrationes. Quid autem dulcius est, quàm uidere, quomodo locorum interualla inueniantur ex propositione Euclidis penultima primi? cùm longitudine & latitudine duorum locorum considerata linea proxima inuenitur, quia in triangulis rectangulis quadratum, quod à latere rectum angulum subtendente fit, æquale est duobus quadratis quæ fiunt ex lateribus rectum angulum continentibus. Aut etiam ex alijs fontibus propioribus, uidelicet, Ex duobus arcubus cognitis & uno an-

gulo trianguli ſphærici, quod conſtituunt duo loca. Quantum artis eſt in tota Anni ratione, et in Eclip- ſium metis? Harum rerum doctrinam ſtudioſi amen-t, nec moueantur inſulſis iudicijs eorum, qui non errore, ſed malitia hæc ſtudia uituperant. Sci- unt enim artes ipſas ueras eſſe, & lucem eſſe diuini- tus oſtenſam. Sapienter feramus illam iudiciorum peruerſitatem, & interea propter gloriam Dei, propter decus artium, & propter uſum in uita, hanc doctrinam tueamur, & poſteris tradamus, ut fecerunt docti & boni uiri apud ueteres, quos eti- am odia malorum & calumniæ exercuerunt. Etſi Orion ſideris nomen eſt, ſic dictum, uel quia diſcer- nit Anni tempora æſtatem & hyemem, ὥρας, uel quia pluuias tempeſtates ciet ab ὄυρον, urina, tamen ſcribitur Orionem fuiſſe Principem Euboeæ audito- rem Atlantis, & Græcis hominibus annum ordina ſſe. Et ſideri ab eo Principe nomen attributum eſſe. Hic dicitur à Scorpio necatus, uel quia oriente Scor- pio ſidus hoc è regione occidit, uel quia ab hoſtibus doctrinæ, calumnijs oppreſſus eſt. Phineus ex Phœ- nicum littore in Myſiam ueniſſe, & eò doctrinam attuliſſe ſcribitur. Hic fatetur ſe propter artem in odium ueniſſe, et fœdiſſimarum uolucrum Harpya- rum contactu dapes ſibi cotaminari, & eripi. Hu- ius ſenis hæc eſt oratio grauiſſima.

Venturis

Venturis Deus oſtendit prænuncia ſignis
Caſibus, inuoluens dubijs oracula uerbis.
Vt primũ ignaros moneat, dein mentibus addat
Sollicitis curam metuentibus abdita fata,
Ne quocunq; trahunt adfectus, prona ſequantur
Pectora, ſed iuſtas legum patiantur habenas,
Et uires hominum diſcant longe eſſe minores
Diuinis, metuantq; Deum, qui uindice dextra
Haud dubie humanos properat punire furores.

Deridet & Ariſtophanes Metonem, qui anni rationem Athenienſibus reſtituit. Et quidem ludit Ariſtophanes de quadratura circuli, Sed quid uete- ra recito.

Natus eſt in ditione Ducum Saxoniæ Iohannes Regiomontanus, qui primus edidit Ephemerides ea forma, quæ nunc uſitata eſt. Hunc uaria certamina exercuerunt. Et opinio eſt, Romæ ueneno extinctum eſſe. Stofleri ſtudium conſumebatur omne in Ephe- meridibus, quibus diu uſi ſumus, πάνυ μεγάλως omittebat. Et tamen in publicis concionibus exagi- tabatur, quod ille, ut erat uir grauis ita placide fe- rebat, ut neq; certaret conuicijs cum maledicis, neq; docendi & ſcribendi labores omitteret. Quare ſtu- dioſi, qui norunt & diuinam lucem eſſe, Arithmeti- cen, Geometriam, anni rationem, & Coſmographi- am, et eſſe artes utiliſſimas uitæ, ament earum ſtudi-

 um, nec

um, nec deterreantur prauis iudicijs, seu indoctorum seu malorum. Nec deerit bonis ingenijs nostra sedulitas. Enarrabimus enim, Deo iuuante, hac æstate primum librum Ptolemæi magnæ constructionis, qui dulcissima initia doctrinæ de Anno tradit, ac speramus nos secundum librum simul adparaturos esse, ut edi possit, & proponi iuuentuti. Diem Iouis & Veneris tribuam primo libro Euclidis. Nec uero dubium est, doctrinam de Anno eruditissimam in Ecclesia Patrum fuisse. Horum iudicia opponamus istis Harpyis, quæ bonis artibus inimicæ sunt. Addam uero die Mercurij enarrationem Quadripartiti Ptolemæi ut antea, de Physicis considerationibus effectionis Stellarum, ut de mirando ordine & consensu corporum mundi diuinitus condito maiore reuerentia cogitetur. Ac Deũ oro fontem sapientiæ, ut nos gubernet & protegat.

Quarto Cal. Maij 1555.

IN PÆLECTIONEM LOCORVM COMMVNIVM.

DVlcissime dixit uetustas, etiam melle immolico bilem augeri, seu ut rectius græcè dicitur, καὶ γὰρ τὸ μέλιτος τὸ πλέον δεῖ χολὴν. *Quanquàm igitur dulces sunt allegoriæ, tamen modum earum esse oportet. Quare Epiphanius*

nius reprehendens ludos intempestiuos Origenis, omnia transformantis in allegorias, inquit. πάντα τὰ θεῖα χρήματα οὐκ ἀλληγορίας δεῖται ἀλλὰ ὡς ἔχει θεωρίας δὲ δεῖται καὶ ἀκριβείας εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστας ὑποθέσεως πῶς δύναμιν. *In hac erudita commonefactione uere dictum est, in primisq; retinendam esse unicam sententiam, quam gignit Grammatica seu uerborum natura & phrasis. Sed tamen ait opus esse* θεωρίᾳ, *& sensu ad discernendas materias.* θεωρίαν *nominari existimo considerationem ordinis, & distinctionem membrorum in toto corpore doctrinæ, sicut Dialectica tradit definitiones, & diuisiones, & discernit fallaces connexiones à ueris. Sensus uero est experientia piorum in usu doctrinæ, in pœnitentia, timore, fide, inuocatione, consolationibus proprijs. Hæc pars in exercitijs pietatis intelligitur. Sed* θεωρία, *id est, Dialectica consideratio, uoce docentium indiget. Semper igitur fuerunt in Ecclesia eruditi, qui doctrinæ corpus complexi sunt, & ordinem ostenderunt membrorum in scriptis Propheticis & Apostolicis. Et quidẽm Symbola hoc consilio condita sunt, ut summa doctrinæ in mentes includi posset. Et multi scripserunt longiores summas, tanquàm methodos, seu artem, ut olim Methodius, & postea Damascenus. Nam omnium rerum quas discimus, monstrari oportet initia, progressiones & meta-*

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SCriptum est: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam. Cum igitur hactenus filius Dei, qui uerè est Emanuël & custos Ecclesiæ, ac ideo adsumpsit humanam naturam, ut ostendat se uerissimè sustentare nos suæ massæ insertos, clementer hanc Academiam seruauerit, fatemur hanc conseruationem ipsius beneficium esse, eum gratis mentibus celebramus, & oramus, ut ipse deinceps uerè sit Rector huius Academiæ. Cum autem uelit hominum uitam ita regi, ut ipse per magistratus eam gubernet & sapienter institutum sit, ut labores Magistratuum alio tempore alij sustineant, & cras eligendus sit Rector, qui deinceps labores gubernationis hoc Semestri sustineat, mandamus uobis omnibus doctoribus & lectoribus huius Academiæ, ut cras hora sexta in auditorio Medicorum ad communem deliberationem conueniatis, & filium Dei dominum nostrum Iesum Christum λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου ἀϊδίου πατρὸς precamur, ut semper huius Academiæ Rector sit ipse, et cum sit λόγος æterni patris, seruum se à se patefactum inter nos conseruet, sicut in agone suo precatur: Pater sanctifica eos in ueritate, seruo tuus est ueritas. Datæ Pridie Calendas Maij, Anno 1555.

Rector

Et fieri hoc debet non nimis exiliter, sed ut uetustas dixit, παχύτερον καὶ σαφέστερον. Hoc consilio scriptus est liber locorum Theologicorum in hac Academia. Et quanquàm materiæ quædam nunc in enarratione Symboli Niceni copiosius recitatæ sũt, tamen interea, dum hæc enarratio absoluitur, utilis est lectio Locorum. Nec easdem res in diuersis libris repeti inutile est, ut scitis Socratem apud Xenophontem fateri, se de rebus issdem eadem inculcare, nec ambitione gignere noua doctrinæ genera. Nec in Locis alia doctrina est, quàm quæ tradita est in scriptis Propheticis & Apostolicis, & Symbolis. Sed uocabula quædam ibi enarrantur, quæ corruperunt Monachi & alij indocti aut impij homines. Monstratur ibi & distinctio membrorum, quæ sunt in libris Propheticis, ubi Lex recitetur, ubi promissiones propositæ sint, quod sit discrimen promissionis æternæ & temporalium, item Euangelij & Politicæ sapientiæ, deniq; multa membra ibi quasi euoluuntur. Ideo decreui librum illum Locorum publicè die Mercurij & Saturni hora quarta, Deo iuuante prælegere. Hoc ideo publice significo, ut si qui me audire uolent, eo tempore in auditorio ueteris Collegij conueniant.

Martinus Kemnicius

Pricensis.

Rector

RECTOR ACADE-MIAE VVITEBERGENSIS.

SEmper in conſpectu ſit hoc mirandum teſtimonium præſentiæ Dei in Eccleſia, quòd filius Dei λόγος ideo naturam humanam adſumpſit, ut uere æſtetur, nos ſibi curæ eſſe, nos à ſe geſtari, tanquàm ſurculos ſuæ maſſæ inſertos. Huic filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto gratias agimus, quòd clementer hactenus & huius urbis Eccleſiam ſeruauit, & ſtudia doctrinæ rexit. Quanquam autem omnes oramus eum, ut perpetuo ipſe ſit Rector huius Academiæ: Tamen cum ita uelit eſſe Rector, ut ſimul inter nos ordo conſpiciatur, & aliqui homines etiam præſint, qui cæteros ad deliberationes communes uocent, & uſitatum ſit, hoc tempore Magiſtratus eligere, mandamus uobis, ut cras in auditorio maximo hora 7. conueniatis, ut quis ſit electus Rector, ibi audiatis. Et ſimul pia precatione uos, & Academiam Deo commendetis. Hoc etiam nunc monemus: Vagantur hic multi peregrini, qui nolunt ullos Magiſtratus agnoſcere. Hæc contumacia & inhoneſta eſt, & periculoſa ciuitati. Quare qui uolunt eſſe ſcholaſtici, dent nomina Rectori. Cæteri ſciant Præfectum & urbis Magiſtratus non defuturos eſſe ſuo officio, ſi quos reſciſcent, ſine certo magiſtratu hic commorari. Ac inſolentiam odio dignam

dignam uidebit. N. N. cum fuerit inſertum nomen eius catalogo eorum, qui ad Academiæ gubernationem pertinent, nuper deleri nomen ſuum petiuit. Hunc ducimus indignum eſſe ſocietate noſtra, in qua tot fuerunt & ſunt honeſti uiri nati in familijs nobilibus, & doctrina & uirtute excellentes. Quia contemptum Rectoris & noſtræ ſocietatis oſtendit. Qui ſi uirtutem eſſe hanc barbariam inſolentiam ducit, multum errat. Hæc publicè ſignificanda eſſe duximus, ut ſint alij modeſtiores.

Pridie Calendas Maij.

Anno 1555.

FORMA RENVNCIATIONIS.

PRimum ago gratias Deo omnipotenti, æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditori cœli & terræ & Angelorum & hominum, una cum filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto & Spiritu Sancto ſuo, quod & colligit in his regionibus Eccleſiam, & clementer hactenus tribuit huic Academiæ, & uicinis regionibus doctrinæ lucem, & mediocrem tranquillitatem, quia uerißimum eſt Pſal. dictum: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat, qui cuſtodit eam. Deinde & hunc ipſum cuſtodem Eccleſiæ ſuæ Deum omnipotentem

oro

oro, ut deinceps quoq; protegat & gubernet has regiones & Ecclesias in eis, & hanc Academiam.

Quia uero optime constitutum est, ut quolibet semestri hoc difficile onus gubernationis in alium transferatur (Nam uicissitudo laborem leuat, & est Aristocratia) significo uobis, electum esse Rectorem Illustrem & Generosum D. Christophorum, Comitem in Barby &c.

Cum autem seuerissimè præcipiat uox diuina, ut in quolibet cœtu legibus consociato ciues obediant suis magistratibus, Mementote uobis quoq; præceptum esse, ut huic uestro Rectori illustri & Generoso Comiti Christophoro, reuerenter obediatis. Est omnino politicus ordo testimonium sapientiæ, iusticiæ, prouidentiæ, & præsentiæ Dei inter homines, quod sæpe cogitandum est, ut reuerentia erga totum ordinem politicum confirmetur. Nec uero quidquam usquam legitur dictum grauius de hac re tota, quàm Pauli concio, quæ ad Romanos scripta est, in qua hæc uerba studiose consideranda sunt: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Expresse adfirmat contumaciam non tantum ira magistratuum in præsentia puniri, sed etiam tale scelus esse, quod mentes à Deo auellat. Hoc dicto magis munita est authoritas Magistratuum apud medio-

mediocres homines, quam ullis armis aut præsidijs. Quare tribuite Magistratui debita officia, ne Deus offensus uos abijciat. Hæc tota doctrina, Dei beneficio, pie in hac Academia illustrata est.

Cognitis autem fontibus decet uos Deo gratias agere pro hac doctrina, & magistratibus maiori reuerentia obedire. Tibi autem nouo Rectori rite electo suffragijs senatus Academiæ, trado magistratum, & signa magistratus, & oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, cum sit λόγος, per quem doctrina de Deo patefacta est, ut ipse & doctrinæ studia, & hunc cœtum docentium & discentium regat, & uere sit Rector & conseruator. Deinde ut te gubernet, & faciat, ut tua gubernatio sit fausta et fœlix, Amen. Anno

1555.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA A CALENDIS MAII, VSQVE AD diem Lucæ per æstiuum semestre, quo Rector fuit Academiæ illustris ac Generosus Dominus CHRISTOPHORVS COMES A BARBI & dominus in Mulingen.

VICERECTOR VERO EI ADIVNCTVS FVIT DOMInus Petrus Prætorius Cotbusianus sacræ Theologiæ Doctor. Anno 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SAepe hoc monemus, spatia uitæ mediocria à Deo petēda esse propter tres causas, uidelicet, ut ipsi doctrinam de Deo discamus. Deinde ut crescat et confirmetur in nobis agnitio Dei. Tertio, ut alijs etiam prosit nostra uita in docendo, & in gubernatione. Colligit enim Deus æternam Ecclesiam uoce

am uoce Euangelij, & non aliter. Quare studia doctrinæ colenda & iuuanda sunt. Vixit autem tam diu adolescens natus in urbe Nordlingen, Bartholomæus Agricola, ut recte didicerit Ecclesiæ doctrinam. Nunc phthisi absumpta est corporis imbecilla natura, anno ipsius Climacterico primo & uicesimo. Etsi autem optandum ei longius uitæ spacium fuit ad docendos alios: Tamen hoc ei beneficium diuinum contigit, quod hoc breui curriculo doctrinam de Deo recte didicit, et Deum uera inuocatione coluit, ac nunc in extremo agone sæpe recitatis dulcissimis sententijs confirmauit in sua mente fidem, & spem uitæ æternæ. Nec de sese tantum priuatim uota fecit, sed patriam & Ecclesiam filio Dei commendauit, commemorata hac sententia: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem mundi. Talium adolescentum pietatem uult Deus exemplum esse cæteris. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris ceremonias hora quarta conueniant, in figulorum uico, & de fugacitate uitæ, & priuatis & publicis periculis cogitantes, singuli se Deo commendent. Die 3. Maij 1555.

PETITIO ELEEMOSINÆ.

EXilia usitata sunt Ecclesiæ Dei, ut commonefaciant nos de primo exilio, in quo patriam cœlestem miseri amisimus, & de filio Dei,

qui factus est exul, ut nos in patriam reducat. Vult autem filius nos hæc cogitantes, erga exules misericordia adfici. Hic Christophorus uom Sand, natus in familia equestri, sacerdotium habuit in templo Bombergensi summo, uel præcipuo. Postea amplexus Euangelium, docere Ecclesiam maluit, et docuit circiter nouem annos. Nunc ex ditione Bombergensis Episcopi iussus est discedere, habet coniugem honestam, & filios duos, & filias duas. Filius alter ante tres menses natus, in hac infantia sine nido à matre in fasciolis ex alijs locis in alia gestatur, Pater gestat filiolam. Obsecro ut Scholastici, qui possunt aliquid conferre ad uiaticum, his miseris opem ferant, ac petant, ut nos quoq; gestet filius Dei, sicut inquit, se gestare nos in sinu, ut pastor gestat agnos. Die Ascensionis Domini, Anno 1555.

Philippus Melanthon.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

PRæcepit Deus Magistratibus, ut sint custodes disciplinæ & pacis, iuxta leges. Cum autem N. N. in platea nocte post horam decimam stricto gladio fecerit impetum in professorem Academiæ Philippum Melanthonem, eiq; ictum

ictum minatus sit, cum non solum non læsus esset, sed nondum compellatus, Nec aliam ob causam accessisset ad eum Philippus, nisi ut hortaretur in platea tumultuantes, ut tumultuari desinerent, & tranquilli domum redirent. Cumq; non desierit petere gladio & Philippum & eius ministrum, quanquàm sæpe inter præliandum Philippus ei pacem mandaret, & ex interuallo temporis redierit ad pugnam, & in hospitio inclyti Comitis eo iam dormiente, cum quidem & priuilegium domus sit, ne ibi fiat uis aliqua, pugnauerit: decreuit senatus Academiæ, ut hic N. discedat mox ex hac Academia, & urbe, hoc ipso die, & absit relegatus octennio. Quia & inuasit non lædentem, & mandanti pacem non obtemperauit, tantaq; rabies fuit, ut nisi Deus clementer texisset nos, futurus fuerit ualde tristis exitus pugnæ, uel ipsi N. uel nostris, uel utrisq;. Sed fatemur esse beneficium Dei, quod nemo uulneratus est. Hortamur autem omnes Scholasticos, ut cogitent de insidijs diabolorum, qui sunt homicidæ, & delectantur exitio piorum, & scandalis, ut sint modesti & tranquilli, ac filium Dei custodem Ecclesiæ suæ precentur, ut protegat nos omnes.

Die quarto Iunij 1555.

DE FORTITVDINE
D. PHILIPPI MELANTHONIS,
qui oppreſſus à Sicario Polono, multis ictibus uenabulo exceptis ui repreſſa incolumis euaſit.

EPIGRAMMA IOANNIS STIGELII.

Aspera nocturno dum feruet rixa tumultu,
Impiaq; effrænus concitat arma furor.
Agmine pro phœbi ſolitus uigilare Melan-
Accurrens monitis triſte diremit opus. (thon,
Audijt eloquio uincentem & pondere ueri,
Et poſuit fremitus cætera turba ſuos.
Vnus & is tetri raptus cacodæmonis æſtro,
Strinxit in auguſtum barbarus arma ſenem.
Hoc ſcelus ut fertis generoſi infame Poloni?
Ille etenim è ueſtra Sarmata gente fuit.
Quid caput hoc ſanctum tibi barbare fecerat hoſtis,
De quo iure poteſt nemo fauente queri?
Non tamen aut animus firmæ aut in corpore uires,
Muſarum oppreſſum deſtituere decus.
Reppulit obiecti uim tantam uerbere pili,
Obuiaq; innumeris ictibus arma tulit.
At tua te Nemeſis meritæ te in tempore pœnæ
Impulit, iniuſtis quæ ſolet eſſe comes.
Ergo omni à populo damnatus iure fuiſti,
Dum fermè ſaxis obrutus exul abis.
Gratia ſit Chriſto, qui paruo in corpore magnus,
Militiæ ſeruat membra dicata ſuæ.
Quod ſi uim reprimens uirtus in corpore tanta eſt,
Prælia ſi fortis talia dextra facit:
Quid facies animo, blaſpheme atq; impie liuor,
Hic plenum inuicto numine robur habet.

DE ECLIPSI LVNÆ
QVAE ERIT ANNO M. D. LV.
die 5. Iunij mane hora tertia.

Inclytus & ueteri fama celebratus Orion,
Impleuit titulo nominis aſtra ſui.
Materiamq; dedit figmenta in amœna Poëtis,
Nobilis ingenio, nobilis arte ſua.
Nam fuit in Græcis Princeps iuſtiſſimus oris,
Cui regni ſedes urbs Tanagræa fuit.
Priſcorumq; penes regum ceu ſtemmata quondam,
Doctrinæ, cura perpete, manſit honos:
Sic artes didicit ſummas Atlante magiſtro,
Orion clarus factus Atlante magis.
Sidera contemplans igitur ſub nocte ſerena,
Quaq; peragrarent illa ſubinde plagas:
Mente ſagax docili cum fructu multa notauit,

Quæ possent ciues erudisse suos.
Hinc etenim motus reuoluti condidit anni
Aonios, certas constituitq; uices.
Circuitus, spatiumq; moræ, quæq; orbita Soli,
Quæ Lunæ, reliquis sideribusq; foret,
Nouerat exactè: & quo tempore quæq; sub ortu,
Quóue sub occiduo cardine stella foret.
Cumq; esset studio celebris, meritusq; benignè,
Ac iusta gereret publica sceptra manu:
Postera progenies meriti non immemor huius,
Perpetuum in cœlo nomen habere dedit.
Imminet Augustum tibi tellus Africa sidus,
Conspicuum stellis, & radiale iubar.
Vix benè, si lustres agmen totius Olympi,
Occurrat tali luce figura tibi.
Componas aptè, poteritq; uir esse uideri,
Intrepidum rigido cinctus ab ense latus.
Id ueniens ætas quondam sine nomine sidus
Oriona sui regis honore uocat.
VNde sed occisum memorat studiosa uetustas,
Bestia cum diro læderet ore pedem?
Cum mane Orion hibernis mergitur undis,
Hunc fugat Eoa Scorpius arce minax.
Sed fortassis & hæc sermonis causa uetusti est,
Liuoris uirus fabula & ista notat.
Has artes lacerat rabiosa calumnia semper,
Scorpius inq; bonos dira uenena uomit.

Sed

Sed non instabiles atomi sine mente ruentes,
Hanc mundi formam progenuere nouam.
Conditor hæc sapiens non frustra lumina fecit,
Addidit ipse operi signa uicesq; suo.
Cras iterum rutilo quando Chironis in astro,
Pallida purpureis Luna uehetur equis,
Stabit & aduerso candens à limite Phœbus,
Germanæ radios fratre negante suos:
Inuoluent umbræ tristi ferrugine Lunam,
Humorem ut nequeat suppeditare solo.
Proh dolor accelerant urgentia fata ruinam,
Hei quàm difficilis proximus annus erit.
Cum spacijs æquis Phœbus noctemq; diemq;
Distinguens, anni fata futura trahet.
Inficient ipsum non fausto lumine iuncti,
Saturnus, Mauors, Cypris, Atlantiades.
Hic positus fraudes populis & bella minatur,
Forsitan & Turci Teutona regna petent.
Sed non humanæ naturæ massa perire
Illa potest, quam tu maxime Christe geris.
Huic nos insertos, petimus, tua dextera seruet,
Cum nos membra uelis corporis esse tui.
O λο'γε gnate Dei, nostris in mentibus adsis,
Tuq; tuo flatu pectora nostra regas.

Zacharias prætorius
Mansfeldensis.

IN SOPHOCLEM.

CRas auxiliante Deo, hora ſeptima, incipiam interpretari Philocteten Sophoclis, dulciſſimam fabulam, & quæ, ſi uerum eſt, quod Cicero ait, effectos eſſe in his fabulis mores noſtros, in alienis perſonis, plane imago quædam eſt præſentium temporum, hominum & morum. Nam hic ſcriptor, qui primarius gubernator fuit ciuitatis ſapientiſſimæ & optimè inſtitutæ, cum iſta ſcriberet, hoc ſibi præcipuè propoſitum habuiſſe uidetur, ut quàm maximè illuſtres imagines, quæq; intuentium animos ipſo ſplendore ferirent, earum rerum exprimeret, quæ in rebus publicis & in ipſa gubernatione quàm frequentiſſimè occurrerent. Sicut igitur in Antigone præcipuus locus eſt, ius diuinum præferendum eſſe tyrannicis legibus: Ita hic imago eius ſapientiæ pinguitur, quæ in mundo plurimi fit, quæq; præcipuum inſtrumentum rerum magnarum, & mirabilium gerendarum eſſe putatur. Opponuntur uerò inter ſe, filius Herois ad artes paternas, hoc eſt, ad ſimplicitatem ac rectitudinem animi Heroicam adſuefactus, & callidiſſima uulpecula Vlyſſes. Ac diſputat uterq; de ſuo uitæ inſtituto, ſuiſq; artibus. Sed cito iuuenis ſimplex & rectus ab artifice aſtuto corrumpitur, ac transformatur in naturam Vlyſſeam, ſed redit tamen ille ad ingenium, nihil enim

enim fictum aut ſimulatum firmum eſt, uel diuturnum. In fine fabulæ illuſtris locus additur, de concordia Principum, quantum in ea firmamenti ſit ad incolumitatem rerum publicarum & res maximas gerendas. Sed quid iſta hîc recenſeo? tota fabula τηλαυγὴς, id eſt, illuſtris eſt. Neq; ſi uel elocutionis lumina, uel ſententiarum acumen, grauitatem, ac uenuſtatem ſpectes, facile inuenias ullum in hoc genere ſcriptum, quod aptius aut utilius iuuentuti proponi poſſit. Quare non pigebit Scholaſticos operæ, quam in hac Tragœdia cognoſcenda ponent. Deum ex animo precor, ut hanc ſcholam & hæc ſtudia noſtra, atq; præceptores ſaluos & incolumes conſeruet, ac tueatur, ad æterni nominis ſui gloriam & multorum hominum ſalutem per Chriſtum Dominum ac Redemptorem noſtrum, Amen.

Vitus Vuinshemius D.

DE PERSICO EXVLE.

QVisquis eſt hic peregrinus, qui ſe ait Perſam eſſe, & quidem filium Regis Perſarum, tamen cum peregrinus ſit, & mancus, ſimus memores mandati diuini, quod præcipit hoſpitalia officia tribui peregrinis, qui neminem iniuria adficiunt. Sic enim dulciſſimè ſcriptum eſt in Deuteronomio capite decimo: Deus facit iudiciam pu-

um pupillo & uiduæ, amat peregrinum, & dat ei uictum & uestitum. Et uos amate peregrinos, quia uos quoq; fuistis exules. Cogitemus & de nostris miserijs. In tanta confusione uitæ accidere singulis conuersio fortunæ potest, ut dicitur: Irus & est subitò qui modo Crœsus erat. Narrat se Romæ baptizatum esse, & postea cum noluisset militare contra Germanos, ademptam ei esse annuam pensionem quam prius habuerat. De hac eius enarratione nihil disputamus, tantum hoc adfirmamus, Lipsiæ & Vuitebergæ cum modeste uixisse, & quia nec germanicè nec latinè loqui potest, Italicè utcunq; loquitur, dedimus ei consilium, ut in Italiam rediret, & aliquid uiatici dedimus, & oramus alios, ut & ipsi homini misero opem ferant propter Deum. Sicut semper gens Germanica fuit officiosa erga peregrinos. Si Persa est, cogitemus de Danielis exilio in Persia, & de Cyro, de beneficijs Persarum, quæ hoc tempore nobis præstant. Toto hoc quinquennio retinent Persæ in Syria Turcicum tyrannum, qui alioqui in Pannonia & Germania grassatus esset.

Die 7. Iunij, Anno 1555.

Philippus Melanthon.

De in-

DE INTERPRETATIONE HERODOTI.

Multæ grauissimæ causæ sunt, propter quas Deus uult notam esse seriem temporum mundi. Vult enim sciri initia generis humani, & cognosci, quæ sit prima doctrina, quando, ubi, quo ordine patefactiones diuinæ factæ sint, & edita à Deo illustria testimonia de doctrina. Ad harum maximarum rerum consideration em opus est etiam nosse gentium discrimina, & Regnorum, Ac in Daniele Deus ipse Monarchiarum seriem prædixit. Cumq; euentus ostendat, prædictiones illas diuinas esse, confirmamur hoc testimonio, ut certo statuamus, totam Danielis doctrinam, quæ summam Euangelij complectitur, diuinitus traditam esse. Et perspicua ibi uaticinia traduntur, Regnum Iudaicum destructum in monarchia Chaldæa, restituendum esse à Regibus Persicis, Deinde Græcos dominaturos esse. Postea secuturam esse quartam Monarchiam, in qua filius Dei futurus sit uictima, & iusticiam sempiternam nobis exhibiturus. Hæc dulcissima uaticinia tenebræ sunt his, qui temporum & Monarchiarum seriem non norunt, quæ ut nota esset, Deus historiam omnium temporum mirabiliter conseruauit. Initia mundi & duæ Monarchiæ sunt in libris Propheticis, Chaldea & Persica. Esaias Cyrum

Cyrum nominatim celebrat antequàm natus est plus centum annis. Macedonas Tyro potituros esse prædicit ante natum Alexandrum plus trecentis annis. Sed propemodum ubi finis est historiæ Ieremiæ, inde initium est historiæ Herodoti, uidelicet, ab Aprye Rege Aegyptio, qui interfecto Ieremia, postea strangulatus est ab Amasi. Præcipuam uerò partem Persici regni Herodotus recitat, deinde Græcæ Monarchiæ historiam collegit Diodorus Siculus. Romanam describunt Liuius, & qui eum secuti sunt. Ita præcipuas Imperiorum in mundo mutationes Deus uult nobis notas esse. Legendi sunt igitur præcipui Scriptores. Primùm, ut Prophetica scripta melius intelligantur. Deinde quia in tota uita humana historias & exempla consiliorum & euentuum nosse utile est. Tertiò, quia historia recte scripta præcipue copiam sermonis alit, et ostendit optimam orationis formam. Ad hæc omnia utilißima est Herodoti lectio. Multa narrat quæ illustrant Propheticos libros, et testantur historiam Ecclesiæ Propheticæ priorem esse, & cum ea congruunt. Narrat Ionum literas à Phœnicibus sumptas esse, unde intelligi potest, Phœnicum gentem antiquiorem esse. Deinde abundat mirandis exemplis mutationum in imperijs, in Aegyptio, Medico, Persico, Lydio, & Ionico. Et cum causas narrat, sæpe repetit Regulam, quæ monet, atrocia scelera atrocibus pœnis

pœnis in hac uita puniri, ut cum ait: μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ τιμωρίαι. Item οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει. Deniq; de pluribus uitæ partibus insignes commonefactiones tradit.

Postremo eloquentia tanta est, prorsus nullius, ut sit omnium Scriptorum oratio dulcior. Hæc uox est sapientißimæ antiquitatis Ionicæ natiua & incorrupta, sine ineptijs, sine accersito cultu, sine fucosis ornamentis, purißima & lenißima. Quare eius lectio plurimùm conducit omnibus, qui studium habent rectè & non horridè loquendi. Vt igitur à pluribus legatur Herodotus, decreui eum Latinè interpretari, & spero studiosis meum laborem profuturum esse. Id publicè significo, quia optarim Herodotum familiarißime notum esse quàm plurimis. Nec dubito, ingeniosos, ubi aliquam eius partem gustarint, cupidißimos fore cognoscendi integram historiam, præsertim cum postrema pars, quæ narrat memorabile & uarium bellum Xerxis, sit splendidißima. 1555.

Ernestus Regius, Vrbani Regij filius.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

CAsta Deus mens est, casta uult mente uocari,
Et horribiliter irascitur uagis libidinibus

bus, ut non obſcure oſtendunt pœnæ in exemplis omnium temporum, & expreſſe dictum eſt: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item, Nolite errare. Scortatores & adulteri non poſſidebunt regnum Dei. Quare caſtitas Deo grata eſt, & magnis præmijs à Deo ornatur, ut oſtendit hiſtoria Ioſeph, & multarum uirginum, quæ cum agnouiſſent filium Dei, & ad ſtupra raptæ eſſent, manifeſtis miraculis terruerunt tyrannos. Quare caſtitatem adoleſcentes & puellæ tueantur. Fuerunt autem cùm aliæ uirtutes in uirgine Catharina, filia Nicolai miniſtri publicæ Academiæ, uera agnitio & inuocatio Dei, φιλοσοφία erga parentes & fratres, ſedulitas in operis Oeconomicis, tùm uero caſtitas ſine ulla labe & ſine intemperantia. Sciebat enim ad caſtitatem tuendam opus eſſe temperantia, & ſciebat temperantiam per ſeſe decus eſſe uirginum, ut Nazanzenus inquit. Οἶνος παρθενικῆσι πολὺ χόλου ἐσίν ὄνειδος. id eſt, Vinum eſt uirginibus probrum maius, quàm ut homines ſatis ei iraſci poſſint. Heri autem ex hac uita deceſſit uirgo illa, Nicolai filia, quæ caſtis precibus ſe Deo commendauerat. Hortamur igitur Scholaſticos, ut hodie hora tertia conueniant ad funeris ceremonias, & ſinguli ibi uitam ſuam Deo pijs precibus commendent, in quibus & hoc ſeriò petant, ut Deus Spiritu Sancto pectora omnium ad caſtitatem flectat, & depellat inſidias

inſidias diabolorum, qui odio Dei impellunt homines ad confuſiones libidinum, ut poſtea magnæ calamitates ſequantur, quas illi Spiritus ſeui & ἐπιχαιρέκακοι accidere uolunt, & ut multi homines pereant, & ut dolorem adferant filio Dei. O fili Dei caſte, uerax, & miſericors, flecte omnium corda ad ueram Dei inuocationem, & ad caſtitatem. Anno 1555. Die Solſtitij æſtiui.

IN ENARRATIONEM LIBRI DE ANIMA.

DE multis maximis rebus nos certo conſilio Deus docet, de quibus, etſi penitus exhauriri ſapientia fabricatoris non poteſt: tamen initia adſpici, et utcunq; in hac uita cognoſci uoluit, & hoc modo, non aliter, ad æternam illam Academiam nos præparat. Diſcimus eſſe Deum eſſentiam ſapientem, bonam, iuſtam, caſtam, uindicem ſcelerum, liberrimam. Eſſe æternum patrem, & ab hoc genitum eſſe λόγον ad nos miſſum, & alloquentem Eccleſiam, & hunc mirando fœdere ſibi copulaſſe naturam humanam, ac mitti ab utroq; Spiritum Sanctum in pectora piorum. Hæ maximæ res, etſi non penitus comprehenduntur, tamen doctrinæ immenſæ initia, & quaſi riuuli guſtandi ſunt. Et harum cœleſtium rerum umbræ in Anima hominis

librum de Anima reuerendi Præceptoris nostri D. Philippi Melanthonis, & quia ibi Anatomica sine interprete à iunioribus minus intelligi possunt, in horum explicatione spero meam operam discentibus profuturam esse. Hoc publicè significare uolui, ut & alij excitarentur ad hanc doctrinam, & scirent meam operam nulli defuturam esse.

12. Iunij anno 1555.

Eusebius Menius.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia VVitebergensi, Valentinus Trutiger Hallensis, artis Medicæ Doctor S. D. omnibus lecturis.

SCeptra Palæstinæ cùm rex tulit impius oræ
Herodes, sobolis prodigus ipse suæ.
Colluuies uarijs diuersæ gentis ab oris,
Ebræos misere depopulatur agros.
Sueta per infandas uitam producere cædes,
Parthorum faciunt agmina sæua metum,
Hinc Syrus, inde furens septemplicis accola Nili,
Ex omni prædam parte cruentus agis.
Tuta nec insidijs urbs est hostilibus ulla,
Perq; domos fiunt funera, perq; uias.
Sæpe sinu matris dum lac puer exprimit ore,

proposita sunt, ut Animæ nostræ consideratio commonefactio sit de Deo, et quasi χειραγωγία ad agnitionem Dei. Accerrimum est hanc ipsam ob causam præcipuè condiram esse, ut sit natura capax sapientiæ & iustitiæ Dei, & uicissim agnoscat, ostendat, & celebret ipsum. Etsi autem in hac uita nec ipsa anima penitus cognosci potest, tamen uult eam Deus adspici, uult ibi cerni uestigia sua, ut inde ad ipsum cogitatione & amore procedamus, inde uirtutum & uitiorum discrimina sumamus. Semper igitur in Ecclesia tradita est doctrina de Animæ uiribus & gradibus, eoq; consilio in Academijs omnibus sæpe repetitur, ut aliquo modo cogitare possis, quid sit λόγος, quid πνεῦμα. Cum his appellationibus uox diuina utitur, de filio & de Spiritu sancto, in ea doctrina commonefactio traditur. Quid sit uirtus, quid uitium, quæ sint causæ, quæ fontes harum rerum, ubi sedes earum sit, hic quasi pictura proponitur. Quid differant noticiæ ab adfectibus. Quid agens liberum à non libero. Quæ sint potentiæ rectrices, quæ quomodo regantur. Hæc antiquissima doctrina, quæ recitatur in Genesi: Sub re sit adpetitus, in his libellis, quantum fieri potest, explicatur. Ac manifestum est, in omni uitæ genere harum rerum cognitionem & necessariam esse, & initium esse uirtutum. In hoc genere ut meo loco aliquorum studia adiuuem, enarrabo librum

Vbera purpurea cæde cruenta facit.
Sæpe genitricis pendens amplexibus infans,
Cum misera tristi uulnere matre cadit.
Has tamen insidias inter, gentesq; furentes,
Zachariæ texit uilla tecta Deus.
Angelicoq; sacras circumdedit agmine cunas,
Quæ, Baptista, tibi dulce cubile dabant.
Tuta, per abruptos diuino numine colles,
Arcana terribili per loca plena metu,
Ad puri properat celeri cunabula gressu,
Casta parens nati uirgo futura Dei.
Ah quoties teneris Baptistam sustulit ulnis,
Ah quoties ori basia blanda tulit.
Ah quoties ipsi tali sermone locuta est,
Viue puer nati præco future mei.
Tum quoq; succrescens castæ sub pectore matris,
Sensit præconem Christus adesse suum.
Basiolisq; suum maternis miscet amorem,
Et puerum flatu recreat ipse suo.
Ergo uelut turmis hostilibus undiq; cinctus,
Iste Deo cœtus uindice tutus erat:
Sic, licet haud paruis nos uiribus urgeat hostis,
Auxiliatrices afferet ipse manus.
Et tumido quamuis pelago iactemur, & undis,
Ipse rati dubiæ nauita fidus erit.
Nos quoq; commissos studij perferre labores,
Et docta mentes excolere arte, iubet.

Ex

Ex qua uel capiat dulces Ecclesia fructus,
Aut res sit neruis publica firma suis.
Namq; Deus placitum uerbo sibi colligit agmen,
Largitur uitæ cui uenientis opes.
Ipse λόγος uiuens æterni patris imago,
Viuificat uerbo pectora nostra suo.
Ocia qua propter qui non ignaua secuti,
Tempora sed studijs uita dedere suis.
Censuræ dubitant nec se committere nostræ,
De studijs rectum iudiciumq; pati:
His damus alloquij soles cupientibus ocio,
Vt sua dent solito nomina more scholæ.
Namq; iuuare bonas studiose nitimur artes,
Et dare militiæ præmia cuiq; suæ.
Christe patris splendor, cunctiq; salutifer orbis,
Da studium laudi seruiat omne tuæ.

Anno 1555. Die festo
Iohannis Baptistæ.

DE DVLCISSIMO MARGARIDOS NOMINE, die Margaritæ.

COrpora ceu passim cœlestis in omnia sparsit
Conditor æternis bene conuenientia rebus
Signa, redẽptoris sic quæ cũ dogmate Christi
Conueniant, conchis insunt non pauca marinis.

In quibus hoc pacto Theophrasti dextera scripsit,
Margarides nasci puras in littore gemmas.

Principio Veris cincti florente corona
Aequoreas urit (mirum) sitis arida conchas,
Repere quas curuum uideas ad littus hiantes,
Cœlestem pleno sumpturas gutture rorem.
Ergo sitim stillans sedauit ut unda molestam,
Nascitur ex illo pellucida gemma liquore,
Et simul ex conchæ gratum quæ præbet odorem
Carne, nitens auri claro quandoq; colore,
Argenti niueo splendore aliquando refulgens,
Est in pellendis cui uis miranda uenenis,
Nec minor humani uis in medicamine cordis.
Gemma tamen fieri solet hæc generosior, haustum
Si modo post rorem tempestas crebra sequatur,
Horreat ut rabidus nymboso turbine pontus,
Donec erit grauidus concharum pondere uenter.

Scilicet hac nobis depingit imagine dogma
Ipse suum, sapiens immensi conditor orbis.
Possumus hoc rectè cœlestem dicere rorem,
Quem simul attraxit sitiens Ecclesia Christi,
Nascitur humano nouus mox in pectore gemma.
Guttus ut æterni genitoris & unicus ardor
Reddidit æternam uero de numine uitam,
Corda renascentum, tunc sit cognita parentis

Aeterni

Aeterni bonitas, inter certamina tandem
Hæc lux atq; fides, uera hæc sapientia crescit,
Cum petit auxilio se mens humana iuuari
Christe tuo. Conchæ sic (quod mirabile dictu)
Congruit hæc Euangelio natura salubri.
Congrua sunt etiam peregrinæ nomina linguæ,
Margarith ut nigri dicunt seu Bargarith Indi,
Altera Romanis crustam designat amaram,
Significat puram propriè uox altera crustam!
Bargarith est uerè durissima crustula Christus,
Quodq; dedit nobis æterni uoce parentis
Dogma salutiferum, quo non est purius ullum.
Pura solet fieri tandem quoq; crustula, cœtus
Maxime Christe tuo didicit qui fidere uerbo.
Hoc tamen ærumnas quoniam docet esse ferendas,
Crustula non falso nobis dicetur amara.

Prætereà conchæ regem dicuntur habere,
Sicut apes Sicula bene quæ pascuntur in Hybla
Id quoq; ceu docti perhibent, qui talia secum
Dexterius repetunt, ad cœtum congruit istum,
Te duce qui medios uictor solet ire per hostes
Gnate Dei, generis nostri pie Christe redemptor.
Hanc tua cum gemmam pietas ostendit emendam,
Doctrinæ studijs nos inuigilare frequentes,
Constantiq; fide iubet hoc cognoscere dogma.
In quo traduntur uerę præcepta salutis:

Non indoctorum nos absterrebit iniquum
Iudicium, sæui non ulla pericula ferri,
Quo minus amplecti diuina oracla uelimus.
Sicut enim tumidis fit purior acta procellis,
Vt magis hæc prosit cordis data gemma dolori:
Tempore sic fiet doctrina salubrior isto,
Cùm nimis in toto sæuit Mars impius orbe,
Sanguineáq; manu furialia concutit arma.
Quis neget in medijs etiam nunc fluctibus orbis
Seruari cœtum qui te pie Christe fatetur?
Nos teget horribiles inter tua dextra tumultus,
Vndiq; cum patriam bellis ardere uidemus,
Cum fera pugnaces committunt prælia Belgæ,
Ausoniusq; furit tristis Bellona per oras,
In sua quin etiam conuertens uiscera dextram.
Nunc habet armipotens rabidos Germania Turcas
Agmina crudorum posthac uisura Scytharum.

Nos uerò adiuncti patris ô tibi gnate uoluptas,
Crustula qui uerè purissima solus in orbe es,
Te petimus, nostros animos tu Christe guberna,
Nosq; tua porrò clementer protege dextra.

Anno 1555.

Iohannes Langerus
Coburgensis.

Decanus

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI VALENTINUS Trutiger, Doctor artis Medicæ.

CVm hodie celebretur recordatio uocationis, doctrinæ, & confessionis Iacobi Apostoli, grati cogitemus cùm de cæteris beneficijs Dei, tùm uero & de miranda Ecclesiæ collectione, quæ fit inde usq; ab initio per filium Dei, qui eò dicitur λόγος æterni patris, quia Euangelium ex arcano consilio diuinitatis profert, & primum sua uoce exponit, & semper adest Ecclesiæ, & in ea Prophetas, Apostolos, Pastores & Doctores uocat, tradit eis doctrinam suam, & in propagatione doctrinæ simul est efficax. Hæc ingentia beneficia grati celebremus, & cum sciamus uoce doctrinæ colligi Ecclesiam, & non aliter, auide discamus, & exercitia utilia discentibus tueamur. Hodie etiam Iacobi historiam cogitemus, cuius mater fuit Salome, de qua narratio extat in Matthæo & Marco. Apud Clementem Alexandrinum, & alia de ea recitantur ex Euangelio Aegyptiaco. Scribit enim Salomæ interroganti, quando uenturum esset regnum Messiæ, respondisse Christum, tunc uenturum esse, cum destrueretur opus mulieris. Et uerba Christi à Clemente sic recitantur, Ἦλθον καταλῦσαι τὸ ἔργον

τῆς θηλείας. Nominat Christus ἔργον τῆς θηλείας. Hoc est lapsum & peccatum in posteritatem propagatum. Sed fanatici homines statim post Apostolorum tempora dictum illud citarunt ad damnandum coniugium, quasi ἔργον τῆς θηλείας generationem ibi uoluerit intelligi Christus. Tales corruptelæ semper ab indoctis & impijs in Ecclesia sparsæ sunt. Quare & in discendo simus diligentes, & simul petamus, ut Deus mentes nostras gubernet, & confirmet adsensionem in ueris sententijs. Vt autem alia multa exercitia discentium causa instituta sunt in scholis, ita & examina fiunt publica & priuata. Significamus igitur uobis, hodie nos publicum examen inchoaturos esse. Ad id ut conueniant Magistri hora prima, petimus, quos quidem decet hoc suo officio consuetudinem utilem discentibus tueri. Die Iacobi Apostoli filij Zebedæi & Salomes, Anno 1555.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI VALENTINVS Trutiger Hallensis Doctor artis Medicæ.

IN Carmine Argonautico inquit Phrixi filius monstrator uiæ, se in templo Aegyptio uidisse tabulam, in qua fuerit picta terræ & regionum.

num. Quia ueteres Aegyptij reges circumnauigata tota terra uoluerunt metas huius totius domicilij humani generis, & singularum gentium sedes, antiquitatem, leges & mores inquirere. Ac ferunt hodie nomen esse ultimæ Thules in Suedico mari ab Aegyptio Rege Thule, quem scribunt circumnauigata terra, & inquisitis plurimarum gentium moribus, in templum uenisse, & interrogasse Oraculum, Esset ne alius Rex maior ipsoe Huic respondit oraculum, πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς. Τούτου κράτος ἐστὶν ἀϊώνιον, σὺ δὲ θνητὲ ὤκεσσι ποσσὶ βάδιζε ἄδηλον διανύσας βίον. Post hanc Oraculi uocem Rex Thules ex templo egressus mox à suis interfectus, dedit pœnas superbiæ, ut exemplo pœnæ alij monerentur, ne in rebus secundis efferantur. Sed qualiscunq; hic Thules fuit, doctissimæ gentis Aegyptiæ consilium laudandum fuit, quod terræ spacia & metas, & rerum naturas & gentiũ mores inquisiuerũt, quia hæc cognitione digna iudicauerunt. Quales enim essent tenebræ, si neq; domicilij nostri metas, neq; historias, neq; legum & religionum initia & propagationes, neq; rerum naturas, neq; eas linguas sciremus, in quibus uestigia sunt uetustatis? Tales autem tenebræ essent, si doctrina Philosophica, historiæ, & linguarum studia delerentur. Hæc sæpe multumq; cogitanda sunt à iunioribus,

à iunioribus, ut confirment animos contra hostes doctrinarum, & propter communem generis humani utilitatem, & propter Ecclesiæ salutem maiore cura discant, & conseruare studeant artes uitæ & Ecclesiæ utiles. Cum igitur nostri labores prosint ad conservationem doctrinarum, bonæ mentes fauere exercitijs scholasticis debent. Quare cum his diebus exploratio eruditionis aliquot auditorum nostrorum facta sit, tribuemus eis publice testimonium eruditionis & gradum Magisterij philosophici, quod faustum & fœlix sit, primo die Augusti. Ad eam renunciationem testimonij, ut Doctores, Magistri, & auditores omnes conueniant, amanter eos oramus, & ut ostendant se his studijs fauere, & ut coniungant ibi sua uota nobiscum, ac precentur, ut filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis & resuscitatus, custos Ecclesiæ, & λογ& æterni patris, qui protulit ex arcano consilio diuinitatis Euangelij uocem, conseruet inter nos doctrinam suam καθ' λογικὴν λατρείαν, & mentes nostras gubernet, & faciat nos, & hos, quibus gradum Magisterij tribuemus, σκεύη ἐλέους, & organa salutaria Ecclesiæ,

Amen, die 28. Iulij

1555.

IN IDILLIA THEOCRITI.

CRas hora septima, Deo iuuante, incipiam interpretari Idillia Theocriti, Atq; illis post paucos dies adiungam Grammaticam Græcam, ut studiosis Græcæ linguæ non desint regulæ & exempla, his enim linguæ constant, neq; ex ijs authoribus, quorum scripta extant, ullum quidem ego scio Theocrito magis idoneum, qui proponatur incipientibus, propter Dialecti & figurarum uarietatem, carminis dulcedinem, et incredibilem imaginum uenustatem. Nam sicut in gemmis, quæ annulis obsignandi causa includuntur, scalpi solent imaguncule, non illæ quidem ociosæ, sed res magnas significantes, Qualis illa fuit Pellicani imago, quæ usus est in obsignandis literis sapientissimus Hispanarum Rex Ferdinandus, cum inscriptione, pro Lege, & pro Grege: Tales imagines in his Eclogis pinguntur, quibus res magnæ & doctrinæ huic uitæ maxime salutares ac necessariæ inimitabili festiuitate ac sermonis suauitate pinguntur. Efficaciùs uero animos hominum mouent, & quasi feriunt, quæ sic mirabili & iucunda specie inuoluta occurrunt, atq; ea quoq; tenacius sensibus infiguntur & miro quodam θελγήτρῳ ingenij solertiam excitant, ad inquirendum atq; discendum incendunt, neq; conquiescere

quiescere sinũt, donec id quod quasi in abstruso latebat, eruat, incredibilis est ea uoluptas talibus ingeniis. Atq; ea causa est, quod sapientissima uetustas omnium penè rerum huic uitæ necessariarum doctrinam talibus ænigmatum et imaginum inuolucris abditam proposuit. Atq; eius rei, si quisquam alius, certe Theocritus insignis artifex [illegible] bus enim seriis & magnis mirabili [illegible] tate ingenij ludit, & dum nugas agere, dum [illegible] cum pueris ludere uidetur, interea grauissim[illegible] quam & in uniuersa uita adprimè utilem doctrinam iuuentuti proponit. In quo authore enarrando, sicut in cæteris, nos Deo auxiliante, diligentia, ut spero, sideq; ac certè assiduitate studiosis satisfaciemus. Oro Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nobis Spiritu Sancto suo clementer adsit, hanc scholam, & præceptores tueatur, ac pacem nobis & tranquillitatem ad hæc nostra puerilia illa quidem, sed certè Ecclesiæ Christi ac Reipublicæ necessaria studia largiatur per Christum Dominum atq; unicum Redemptorem nostrum, Amen, 11. Augusti 1555.

Vitus Vuinshemius D.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Die Iunij 25. in oppido Thuringiæ Nebra mulier honesta magna cum difficultate peperit filiam,

filiam, quã edita, mox flamma ex matris aluo erupit cum sonitu, qualis fit emisso globo ex ænea machina. Ea flamma etsi mater ambusta est, tamen non est extincta. Sed recens natam filiam flamma circumdedit, & uecauit. Hæc narratio uera est, & scimus alia multa prodigia narrari. Etsi autem multi talia signa contemnunt, & ut proci Penelopes in maximis periculis, qui uidebant sanguinem fluere ex parietibus, rident risum Sardonium: tamen homines modesti moueantur, & cogitent magnas pœnas denunciari, quas tamen Deus uult lenire inuocantibus ipsum. Vt autem inuocatio sit ardentior, frenentur cæci impetus, & mores diligentius regantur. Hæc etiam in funeribus piorum cogitanda sunt. Decessit autem ex hac uita honesta matrona, Elisabeth uidua, quæ fuit olim nupta uiro integerrimo Iohanni Rhaw, Quæstori Academiæ, quæ reliquit orphanas filias aliquot, quarum orbitas etiam commiseratione digna est. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funus hodie hora quarta conueniant ante ædes orphanorum Iohannis Rhaw, & ueris gemitibus petant à Deo, ut publicas & priuatas calamitates leniat. Prodigia, animorum incendia in doctoribus & principibus, & stellarum positus, & Eclipses, significant proximo anno horribiles uastationes. Nec contemnamus tot diras significationes concurrentes, sed oremus filium Dei Dominum nostrum

Iesum

Iesum Christum custodem Ecclesiæ suæ, ut sit umbraculum nostris regionibus, nec sinat fieri barbaricam uastitatem. Clamemus ad Deum, ut in Psalmo dicitur: Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui, Domine libera nos, & propicius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Die. 13. Augusti 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

TEstimonia illustria de futura hominum uita & cœlestis Ecclesiæ societate diuinitus ostensa sunt, inde usq; ab initio mundi plurima. Henoch, Elias uiui translati sunt in cœlũ, multi mortui reuocati sunt in uitam, filius Dei totos quadraginta dies, postquam in cruce mortuus, tertio die reuixit, se in familiari consuetudine Apostolis ostendit. Tunc & multorum aliorum patrum & Prophetarum, qui reuixerunt, familiaris consuetudo fuit cum Maria & Apostolis, ut certo sciremus, & restare aliam uitam, & futuram esse dulcissimam societatem beatorum in Ecclesia cœlesti. ipsæ enim ærumnæ huius uitæ testantur, nos ad alium portum conditos esse. Ideo enim homini indita est notitia Dei, ut tandem perfecta Dei agnitione fruatur. Intuentes igitur testimonia omnia de uĕtura uita, perseueramus

seueramus ærumnas præsentes, & sciamus hanc ærumnosam uitam iter esse ad illam æternam lucem, & nos ad eam constanter præparemus. Ibi rursus amantissimos parentes, filios & amicos complectemur, & simul grati Deum celebrabimus, & eius sapientia fruemur. Hæc assiduè cogitanda sunt, & ut sæpius cogitemus, funera nos commonefaciunt. Heri Philippus filius uiri doctissimi & integerrimi, & de studijs doctrinarum præclarè meriti, Iacobi Militschij, doctoris artis Medicæ, ex hac uita mortali euocatus est, qui & ingenio ualuit, & iam cum initia aliarum artium, tum uerò doctrinam de Deo & de Domino nostro Iesu Christo rectè didicerat, & animi pietatem uera inuocatione Dei, & honesta morum gubernatione semper ostendit. Nec dubitandum est, esse eum in numero illorum, de quibus dictum est: Non est uoluntas Dei, ut pereat unus de paruulis istis. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris Ceremonias hodie hora quarta conueniant, & ibi singuli & suam uitam, & patriam, & uniuersam Ecclesiam Deo pijs precibus commendent. Id eò faciendum est ardentius, quia ueniens annus magnos motus adferet, quos ut reprimat filius Dei custos Ecclesiæ, ardentibus uotis cum precemur. Die 15. Augusti, quo & Philippo Melanthonis filius mortuus est ante annos 26.

IN PRAELECTIONEM ARITHMETICAE.

ESse Deum, mentem iustam, quæ cuncta crearit,
Inq; sua gestet cuncta creata manu,
Testantur lati sinuosa uolumina cœli,
Quæq; dedit certas tempora habere uices.
Pulchrius ast eadem lux mentibus indita monstrat,
Quæ quid sit rectum, turpia quæue docet.
Namq; Deus uoluit nostris in mentibus esse
Signa sui, quid sit, qualis & esse uelit.
Hoc usu superat reliquas longo ordine cunctas
Artes, quæ numeros explicat atq; docet.
Ante alias etenim clarissima semina menti
Insita non paruæ commoditatis habet.
Queis animas monstrat nostras non puluere terræ
Ortas, sed summi semina habere Dei.
Atq; hominum simul in uita certamina soluit
Plurima, contractus quoslibet arte regens.
Quantumq; sit solis certo docet annua meta,
Qua numerat primi secula principij.
Et monstrat callem, qui recta ad lucida ducit
Sidera, quæ uarium progrediuntur iter.
Hanc igitur cupidè discas studiosa iuuentus,
Si studijs recte consuluisse cupis.
Auspice quam Christo cras enarrare studebo,
Cum Phœbus medium iam superauit iter.

Tu modo Christe fave verissima patris imago,
Quiq; es de pura virgine natus homo.
Et tibi perpetuum nos inter collige cœtum,
Qui semper vera te pietate colat.
His etiam alveolis pacem concede benigne,
Vt verbi fundant dulcia mella tui.

Sebastianus Theodoricus
Vuinshemius.

IN PRAELECTIONEM LIBELLI DE ANIMA.

VALde congruit ad huius seculi rabiem & dissidia hic versus Empedoclis: φοιτᾶ δὲ βροτόλοιγὸς ἔρις κενεὸν λελακυῖα. Vagatur passim contentio accendens odia & bella, garriens insania, id est, maledicens literis, artibus, disciplinæ, legibus, veritati. Nam has artes gaudet opprimi vulgus, ut laxetur licentia. Ac præcipuè physica doctrina deridetur, sicut & Aristophanes Socratem exagitat, quem fingit calatho subvectũ in aerem, nubes contemplari. Sed bonæ mentes sciant voluntatem Dei esse, ut hæc miranda opera in natura adspiciantur, quantũ fieri potest, deinde ut opificis consiliũ consideretur, & discamus, qualis sit opifex, & quales nos esse velit. Pulcherrimus ordo in mundi corporibus, eorum positu, motibus, & naturis,

testimonium est de Deo. Sed multò illustrius testimonium est, Anima hominis, in qua sunt perpetuæ & immotæ notitiæ, & σοφίαι, quæ sunt initia virtutum, & est libertas electionis. Talem naturam intelligentem, beneficam, & liberam, impossibile est ex atomis Democriti, sine consilio, & sine arte natam esse, Sed necesse est opificem sapientem, bonam & liberum esse. Nam impossibile est, effectum toto genere præstantiorem esse causa. Impressit autem conditor nobis suarum proprietatum similitudinem, ut mentes nostræ sint uelut speculum, in quo fulgeat cõditoris similitudo, ut communicare se nobis possit. Nisi enim homo esset natura intelligens quomodo sapientiæ diuinæ radij in eam spargi possent? Hæc ut aliquo modo intelligantur, necesse est distinguere animæ uires & actiones. Quid? quod nox diuina nominans Λόγον & πνεῦμα, utitur uocabulis in descriptione diuinarum personarum sumptis ex nostra natura? Hæ appellationes minus explicari possunt ab his, qui non didicerunt doctrinam physicam. Præterea in doctrina Ecclesiæ, necesse est discerni potentias cognoscentes ab adpetentibus. Necesse est monstrare, qualis sit electionis libertas, & quæ partes obedire imperio rationis possint. Deinde in alijs doctrinis, cum fontes Legum, & iusticiæ quæruntur, necesse est discerni notitias et earum gradus, adfectus, uirtutes, & actiones, quæ notitijs

notitijs reguntur. Necesse est intelligi discrimina demonstrationum & uerisimilium propositionum. Hæc sine his qualibuscunq; initijs physicis non intelliguntur. Nec propterea hæc initia negligantur, quia perspici rerum natura non potest, nec oculis cernere animam possumus. Vult Deus inchoari æternam sapientiam in hac uita, postea sese nobis ostendet. Qualis autem lux erit, cum Deum coràm aspiciemus, cum ideam omnium operum diuinorum, & causas in ipso filio cernemus? Hanc lucem si expetimus, initia in hac uita discenda sunt. Nec aliter patet aditus ad cœlestem illam Academiã illis, quorum ætas doctrinæ capax est, nisi hoc tyrocinio huius uitæ præparati sint. Amemus ergò hæc studia, & desiderium illius mirandæ lucis, quæ est sine caligine, accendatur iam his scintillis, & tantum discamus, quantum Deus sciri uoluit, non ad Thrasonicam ostentationem conferamus. Hæ nostræ admonitiones an ueræ sint, & meliores uituperatione doctrinarum & disciplinæ, uniuscuiusq; sani hominis conscientia iudicet. Nos, etiamsi multa aduersantur, tamen propter gloriam Dei & propter ueritatem hæc monere non desinemus, donec spiramus. Et non dubitamus ipsum filium Dei λόγον æterni patris, custodem Ecclesiæ suæ, adfuturum esse his, qui recta docent, cum quidem ad dextram æterni patris sedeat, ut excitet & gubernet docentes. Nec miremur

nobis multos aduersari, cum ipse tantis contumelijs adfectus sit. Sed tamen & in suis certaminibus, & in organorum suorum luctis semper uicit, & uincet, quem quidem ardentibus uotis oramus, ut nos & auditores nostros gubernet. Cras hora quarta in auditorio ueteris Collegij, quia Magister Antonius iter ingreditur, inchoabo doctrinam de Anima, & quotidie eam horam illi materiæ tribuam. Physico libello tribuam diem Mercurij & Saturni hora prima. Decimo octauo Augusti. Anno 1555.

Henricus Paxmanus Burguuerensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

GENtium migrationes & exilia admonent nos de primo exilio, & de instabilitate rerum humanarum, ut cogitemus de unica & æterna patria cœlesti. Considerent igitur eruditi maiorum origines, quas sæpe nomina urbium indicant. Nota est autem urbs, quæ nunc usitatè Dantiscum nominatur, cum paulò ante fuerit appellatio multò usitatior Gedanum, sita ad Vistulam, & ad sinum Venedicum, ubi olim fuisse Gotos seu Getas nihil dubium est. Scribunt igitur quidam à Getis Gedanum dictum esse. Getas autem ortos esse à filio Sem Geter, consentaneum est. Et Gethicæ

thicæ seu Gotthicæ gentis eximiam fuisse uirtutem, multa honestissima facta ostendunt. Totilas remisit captam fœminarum & puerorum multitudinem, maritis & parentibus, sine iniuria. Pepercit Christianis Romæ. Theodoricus senior uicit Attilam interfectis centum millibus Hunnorum, qua pugna languefactæ sunt uires Attilæ adeò, ut mox Budam regressus, et ibi mortuus sit, cum iratus propter cladem, uino se immodicè onerasset. De Theodorico Veronensi sic scribit Procopius, Δικαιοσύνης ὑπερφυῶς ἐπεμελήσατο, καὶ τοὺς νόμους ἐν βεβαίῳ διεσώσατο, ξυνέσεως δὲ καὶ ἀνδρείας εἰς ἀκρὸν ἐλήλυθεν ὡς μάλιστα. Quæ laus regi amplior tribui potest? Addit etiam Sidonius prandenti & cœnanti semper libros Propheticos & Apostolicos lectos esse. Sed siue Gotthorum siue Danorum Colonia est Dantiscum, urbs nunc opibus, & Aristocratica gubernatione insignis est. Hoc quoq; obiter dicemus. Strabo scribit fuisse uicinos tunc quoq; Getas & Daos. Ideo utriusq; gentis Coloniam Dantiscum esse existimamus. In ea urbe natus fuit ex honestis parentibus Iacobus Marckenbek, cuius natura disciplinarum omnium capax fuit, ut eruditio eius & excellentia in Musica ostenderunt. Has dotes ornabat honestis moribus, & studio doctrinæ de filio DEI, quod fulsit in eo in extremo

 agone.

agone. Nam aßiduè se ardenti inuocatione filio Dei commendauit. Cum autem Deo sic uisum sit, ut in cœlestē Academiam iuuenis transferretur, doleamus Reipublicæ causa, eam orbatam esse bono ingenio. Hortamur autem scholasticos, ut ad funeris ceremonias conueniant prope ædes Quæstoris hodie hora 12. & ibi singuli de cōmuni imbecillitate & publicis periculis cogitent, & suam quisq; uitam & Ecclesiam Deo pijs precibus commendet. Die 23. Augusti Anno 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NOtißima sit omnibus, et sæpe cogitetur grauißima sentētia Syracidæ, recitata in capite 33. Vir sapiens non odit Legem. Hypocrita uerò non serio adsentiens legi, est uelut cymba in sæua tempestate. Ανὴρ σοφὸς οὐ μισήσει νόμον· ὁ δὲ ὑποκρινόμενος γὰρ αὐτῷ ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον. Est in hac tristi deprauatione humanæ naturæ horribilis caligo, quæ impedit, ne cernamus, quanta sapientia sit lex Dei, & non solum æstus & Euripi sunt rapidißimi dubitationū, sed etiam fremitus & odia contra Legem, tanquam contra durißimum carcerem. Reuocat autem nos ad agnitionem sui Deus, & uult uocem Legis & Euangelij audiri, & de

& de sese testimonia illustria ostendit misso filio. Ac uerè est sapiens, qui assentitur Deo, & eius sapientiam considerat, & discit. Alij Hypocritæ & Pyrrhonij, qui cogitant inanes fabulas esse doctrinam Dei de Lege, Euangelio, collectione Ecclesiæ, de inuocatione, de præsentia, & de auxilio Dei, hi & fluctibus dubitationum concutiuntur, ut Cymba in tempestate, et in calamitatibus nullam habent consolationem. Ideò comparat eos Syracides cymbæ quassatæ in sæua tempestate, id enim significat καταιγὶς, ab αἴξ, id est, capra, qua in Octobri, cum oritur capella ortu Acronycho, magnæ tempestates cientur. Cum igitur uelit Deus assuefieri homines ad considerationem Legis suæ, ministerium docendi instituit, addidit etiam mandata de externa disciplina, quæ utinam regeretur diligentius. Sed ut uoluntas nostra conspiciatur, leges de disciplina sæpe repetantur. Et hodie hora duodecima eas publicè in auditorio maximo legi curabimus. Ad quam recitationem, ut omnes ea hora conueniant, præcipimus. Significamus etiam, Senatum oppidi ciuibus præcepisse, ne cui hospitium, aut cibum præbeant, qui cum uideri uelit scholasticus, non dedit nomen Rectori. Quare & nostris idem præcipimus, & ut nobis adferant singuli nomina suorum conuictorum & hospitum, serio mandamus. Iußit etiam Senatus ianuas additas maioribus ianuis in una

 domo,

domo claudi. Idem & noſtris præcipimus. Calendis Septembris, Anno 1555.

COMMONEFACTIO DE OBEDIENTIA, RECITATA ante lectionem Statuorum Academiæ.

MAnifeſta eſt legum utilitas. Niſi enim legum uoce & metu pœnarum coherce-rentur homines, & inquieti tollerentur, genus humanum inter aſſiduos tumultus, & cædes funditus delerctur. Hæc manifeſta utilitas intelligitur etiam ab agreſti multitudine, & multorum animos mouet, ut leges neceſſarias eſſe cenſeat, & fatentur tuendas eſſe. Nos uerò, qui in Eccleſia Doctrinam de Deo didicimus, & ſcimus eſſe Deum, & talem eſſe, qualem ſe patefecit transfuſa legum notitia in mentes hominum, debemus legum dignitatem multò pluris facere, quàm uulgus, quòd utilitatem tantum adſpicit. Eſt enim Lex ueriſſimè in Deo æterna & immota ſapientia, & norma iuſtitiæ patefacta nobis in creatione, & ſæpe repetita uoce diuina, hanc ipſam ob cauſam, ut ſit illuſtre teſtimonium oſtendens eſſe DEVM, & qualis ſit, ac obligat omnes rationales creaturas, ut ſint conformes Deo, & horribilem iram & deſtructionem denun-

denuncians omnibus, quæ non ſunt conformes Deo. Cum igitur nomen legis audimus, mens Deum fontem ſapientiæ, ordinis, & iuſticiæ intueatur, & ſciat contemptum legum eſſe furorem, DEO bellum inferentem. Nec aliud ſignificat uetus Poema de Gigantibus bellum cœlo inferentibus, quàm tales hominum furores, qui ſpretis legibus, Deum ipſum contumelijs adficiunt. Horum furorum initia uigilanter cauenda ſunt, Quia diaboli pectora eorum, qui initia admiſerunt, occupant, & odio Dei impellunt ea ad tetra ſcelera, quæ ſequuntur pœnæ tragicæ, & æternum exitium, ut oſtendunt triſtiſſima exempla præſtantium hominum, SAVLIS, DAVIDIS, ACHAB, ALEXANDRI, & aliorum innumerabilium. Adſuefacite igitur uos ad legum reuerentiam, & in his agnoſcite Dei ſapientiam, & uoluntatem. Cogitate etiam totum ordinem politicum eſſe opus Dei, quod uult eſſe teſtimonium de ſeſe, & de ſua præſentia in genere humano. Etſi enim Diabolus horribili furore dilacerat ſocietatem humanam, & magnas diſſipationes & uaſtationes facit, ſicut Lupi gregem ouium diſſipantes : tamen ut Paſtor defendit partem gregis, ita Deus ipſe præſens in genere humano partem aliquam ſeruat, & depellit diabolos, & aufert organa diabolorum, homines turbulentos, ſeditioſos, Tyrannos, et latrones. Quid eſt triſtius, quàm fieri

fieri organum diaboli turbantis ordinem diuinum in genere humano? Sitis igitur modesti, & Deo pastori, & custodi societatis humanæ obtemperatæ, ne fiatis organa diabolorum. Habent exempla diuini iudicij omnes ætates, quæ ostendunt hanc comminationem diuinam ratam esse: Qui gladium acceperit, gladio peribit: Scortatores & adulteros puniet Deus, & similes. Cum igitur non dubium sit, Atrocia scelera comitari pœnas in hac uita diuino ordine, metus pœnarum etiam uos coherceat. Nos mandato diuino has commonefactiones proponimus, ut officij nostri ratio postulat. Et uos experiemini, Deum esse custodem suæ legis, & politici ordinis. Nunc etiam rursus admonemus uos, ut sciatis necessarium officium esse, ut uocati ad iudicia Rectoris ueniant. Quare contumaces sciant, nos usuros esse iusta seueritate, & publicis decretis eos hinc electuros esse. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum, & resuscitatum, custodem Ecclesiæ suæ, ut hanc Ecclesiam & studia doctrinæ, & nos omnes protegat & gubernet. Amen.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

ETsi in tanta infirmitate naturæ humanæ multi ante senectam moriuntur, sicut multa poma

poma ante maturitatem decidunt, tamen certo statuamus, uera esse dicta: Deus est uita tua, & longitudo dierum tuorum. Item: In ipso uiuimus, sumus, & mouemur. Sciamus etiam uelle Deum sic, & non aliter colligere Ecclesiam, uidelicet in his, qui, Euangelium iam intelligere possunt inchoata agnitione filij Dei. Quare singuli, præsertim iuniores, petunt à Deo longiora uitæ spacia, & his ad doctrinam alendam & confirmandam utantur. Postea etiam iuxta uocationem utantur uita ad propagationem doctrinæ. Vult etiam Deus nos creaturis à se conditis ad nostrum usum, recte uti. Nunc adolescens natus in urbe Pomeraniæ Stolpen Georgius Schult ex hac uita decessit, qui laborauit ἀσθενείᾳ, quam ortam esse ex malo uictu existimamus. Audimus in eo elegans ingenium fuisse, ornatum à Deo suaui uena ad scribendum Carmen, & uirtutes non solum à natura inchoatas, sed etiam diuina luce accensas fuisse. Talibus optanda sunt longa uitæ spacia propter Ecclesiam. Hortamur autem Scholasticos, ut conueniant ad funeris ceremonias hodie hora duodecima è regione ædium clarissimi uiri Doctoris Laurentij Lindeman, & singuli sese, & Ecclesiam pijs precibus Deo commendent. Die 5. Septembris 1555.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

CErtißimum est filium Dei immensa & inenarrabili bonitate sic sibi uoce Euangelij æternam Ecclesiam in genere humano colligere, ut eam in hac uita inchoari uelit. Ideò etiamsi hæc uita plena est ærumnarum, & illi qui iam mediocriter didicerunt ueram de Deo doctrinam, & in quibus accensa est lucis diuinæ scintilla, cupiunt dissolui, & esse cum Christo, & in illa Academia Deum propius cognoscere: tamen etiam longiora uitæ spacia à Deo petenda sunt propter has quatuor causas, uidelicet, ut doctrinam de Deo discamus. Deinde, ut longioribus exercitijs eam alamus & confirmemus. Postea, ut iuxta uocationem utamur uita ad doctrinæ propagationem. Postremò, ut Ecclesiæ sit frequentior, & plures Deum rectè inuocent & celebrent. Has uiuendi causas assiduè intueri debebamus, & petere, ut Deus nobis longius uitæ spadiam concedat. Certum enim est, etiamsi in tanta infirmitate naturæ humanæ multi ante senectam moriuntur, sicut multa poma ante maturitatem decidunt: tamen non casu, non tantum physicis causis seruari, sed uere Deum esse autorem & conseruatorem uitæ, sicut hesterna concio filij Dei, & multa alia dicta perspicuò monent. Vixit autem tàm diu honestus adolescens Hermannus Volandius Osnaburgensis, qui heri imbecilli natura febri superata decessit, ut rectè didicerit Ecclesiæ doctrinam. Vtinam uerò longius uitæ spacium etiam ad alios docendos ei datum fuisset. Sed obtemperandum est Deo quocunque tempore nos euocanti. Etsi autem matri suæ uiduæ magnum luctum reliquit: tamen illa hac uerissima consolatione dolorem leniet, quod scit eum eductum esse ex hac ærumnosa uita ad æternam consuetudinem filij Dei, & beatorum agmina, ubi eum breui ipsa quoq; rursus uisura, & dulcissimè complexura est. Nam & pietatem animi antea in tota uita uera inuocatione Dei, ac modestis & castis moribus declarauit, & nunc in agone adsidua commemoratione beneficiorum filij Dei ostendit. Sæpe enim recitauit hanc dulcissimam sententiam: Sic Deus dilexit mundum &c. & alias. Ita in his dulcissimis consolationibus & ardentissimis precationibus expirauit. Non igitur dubium est eum esse in numero eorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Fiet autem ei funus hodie horæ duodecimæ, ad quod ut Scholastici ante ædes iunioris Carpophori conueniant, & uitam suam & Ecclesiam piis uotis singuli Deo commendent, hortamur. Die 23. Septembris.

Anno 1555.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

MIgrauit ex hac misera & calamitosa uita ad Christum Redemptorem, & æternam piorum sedem uerè nobilis puer Vuolffgangus à Lindenau, natus ex clara familia equestri et optimis parentibus, atq; ipse supra ætatem insigni indole & ingenio doctrinæ, ut auidissimo, ita & capacissimo præditus erat, in quo in hac puerili ætate multæ præstãtes uirtutes eminebãt. Ex quibus facile colligi poterat, quantus hic uir futurus erat, si fata illi uitam longiorem concessissent. Atq; his uirtutibus prælucebat pietas erga Deum, & ardentissimum studium ueræ doctrinæ religionis, ut satis appareret, cor ipsius tabernaculum, et sacrarium esse Spiritus sancti. Nam & antè & toto hoc tempore, quo decubuit, assiduè atq; ardentissimè Deum per Christum inuocauit, eamq; in fide Christi constantiam conseruauit, donec aliquod in ea uitæ uestigium reliquum fuit. Etsi igitur interitu tam præstantis pueri & optimorum parentum mœrore commouemur: tamen hoc & nos & parentes uicissim consolari debet, quod hunc Vuolffgangum scimus unum ex nobilissimis granis esse, quæ Deus hinc inde ex humano genere congregat in horreum suum, & ex talibus gemmis sibi colligit, atq; extruit æternam Ecclesiam.

Ecclesiam. Magnum hoc est doloris leuamen mœstis parentibus, cum certò statuere possunt, carni suæ paratam esse æternam sedem cum Christo inter castos Angelos, & Sanctos in cœlo. Ad hunc æternæ salutis portum omnes nos respectare, & totius uitæ cursum dirigere decet, quod ut fiat, efficiat Christus filius Dei redemptor noster Amen. Efferetur autem hoc funus hodie hora duodecima è domo Georgij Gruneri Quæstoris. Quare Scholasticos & cæteros huius Academiæ alumnos hortamur, ut sub id tempus ad eum locum conueniant, funus comitentur, & preces una nobiscum coniungant, ut Deus imminentes pœnas mitiget, Ecclesiam sibi inter nos æternam colligat, nosq; Spiritu sancto suo regat, tueatur, atq; in fide & uerbo suo in æternum conseruet per Christum redemptorem nostrum, Amen. Postridie Calend. Octobris. Anno 1555.

IN FASTOS OVIDII.

NOn ferri casu totius corpora mundi,
Nec temerè nasci quicquid in orbe uides.
Esse sed æternam mentem, quæ cuncta gubernet,
Et benè quæ fecit seruet amore pio:
Cunctarum prodit rerum pulcherrimus ordo,
Quo spreto cernas nil nisi triste chaos.

Illa Deus mens est, quæ nostro in corpore membra
Condidit, & templum nos sibi esse sibi.
Hic terras, tractusq; maris, cœlumq; creauit,
Nec non ornauit munere quæq; suo.
Affixit stellas insignia lumina cœlo,
Astraq; per certum currere iussit iter.
Dumq; suum accelerant labentia tempora cursum,
Alternis uicibus noxq; diesq; cadunt.
Adde quod eximio campos uestiuit honore,
Et flores fecit spargere mille modis.
Pinguia & ipse suis fœcundat frugibus arua,
Atq; aliquem fructum quælibet arbor habet.
Cætera uix possum memorare, sed omnia mente
Ista uidens debet quisq; notare pia.
Tam uilis precij res nulla uidebitur unquam,
Quæ non præsentem signet adesse Deum.
Sic nos sustentat, sic diligit atq; redemptos
Per natum, uero semper amore fouet.
At nos uult grato de pectore dicere grates,
Tanta nec immemori mente tenere bona.
Et quia composuit fulgentia sidera cœlo,
Vult etiam ipsorum nos bene nosse uices.
Cras igitur postquam medium conscenderit orbem,
Bis sextaq; horæ Sol ubi signa dabit,
Tempora cum causis Latium digesta per annum,
Lapsaq; sub terras ortaq; signa legam.

Hinc

Hinc uarias poteris stellarum discere leges,
Et quam conueniens dirigat ordo polum.
Vtq; suis profugi uoluantur mensibus anni,
Quas habeant partes, nomina, & unde gerant.
Verq; nouos ferat ut flores, herbasq; recentes
Vt feruens æstas frugibus arua tegat.
Mustaq; alatis autumnus fundat ut uuis,
Vt constringat hyems, mox niue soluat aquas.
Inde quot integro Sol signa pererret in anno,
Anno quot menses pallida Luna trahat.
Hinc quoq; cognosces errantia sidera, quando
Lucida proueniant seu tenebrosa cadant.
Multaq; clarorum discces monumenta uirorum,
Et ueterum ad certos gesta relata dies.
Cætera dicemus, uigili studioq; legemus,
Ocia cum Musis conferet hora pijs.
His opus Iliados docti iungemus Homeri,
Quando diem lætum lux Iouis alma feret.
Si quibus hæc igitur placet officiosa uoluntas,
Quiq; boni hanc operam consuluisse uolent:
Promptus ero, modò me, quam significauimus, hora
Conueniant intra limina parua domus.

13. Octobris, Anno 1555

Laurentius Durnhofer.

IN VERGILII GEORGICA.

ARbitror omnes qui quidem legerunt aut enarrari audierunt Vergilij Georgica, fateri, eorum lectionem, cum propter rerum uarietatem, quas tractat Poeta, tum etiam propter elegantiam carminis utilem esse, & ad doctrinam liberalem comparandam, & ad eloquentiam, atq; alendam orationis copiam. Cum igitur ante peregrinationem meam duos priores libros publica lectione absoluerim, exordiar hodie τύχῃ τῇ ἀγαθῇ enarrationem tertij libri. Qui cum contineat eruditissimas & iucundissimas quorundam animantium descriptiones, non dubium est, quin eius lectio plurimum utilitatis allatura sit studiosis. Pertinet enim ad liberalem doctrinam, scire naturas animantium, adeoq; hæc ipsa doctrina pars quædam physices est, quæ non solum doctrinæ, sed etiam pietati & moribus prodest, Propterea quod naturis animantium multa signa diuinæ prudentiæ impressa sunt, multarumq; in eis uirtutum exempla nobis proponuntur, ut in columbis castitatis, in Cyconijs φιλοσοργίας, & pietatis erga parentes in formicis & apibus sedulitatis & industriæ, Et in alijs alia exempla, quæ non considerare uelle, barbaricus diuinorum operum contemptus est, quem Deus multis gra-

tis grauissimis pœnis puniet, præsertim cum ipse præceperit illa uirtutum simulacra in animalibus considerari à nobis, ut nos nostri officij admonerent. Christus enim iubet nos intueri Passeres. Et Salomon discendi causa nos ad formicas, tanquàm in ludum mittat, cum inquit: Vade piger ad formicam, contemplare mores eius, ut sapiens fias. Veteres quidem Philosophi adeò dignam hanc materiam, in qua elaborarent, iudicauerunt, ut præcipuus Philosophorum Aristoteles uiginti duos libros de animalium natura scriptos posteritati reliquerit: Ad quem laborem fœlicius perficiendum à sapientissimo rege Alexandro Magno non parum adiutus est. Cum enim priuatis Aristotelis sumptibus explorari naturæ animantium non possent, Alexander ei ad conducendos uenatores & alendas bestias misit octuaginta talenta, quæ summa facit monetæ Gallicæ quadringenta & octoginta millia Coronatorum. Tanti sapiens uetustas fecit hoc explorandi naturas animalium studium. Etsi autem paucorum animantium descriptiones hoc libro continentur: tamen illorum ipsorum naturas cognitas habere est utile, ac inuitare hominem studiosum ad horum librorum lectionem potest ipsum carminis genus, quod cum uarijs figuris & ornamentis orationis refertum sit, non est dubium, quin eius diligens lectio & imitatio eloquentiæ studiosis magnopere sit profutura. De

mea opera nihil aliud dicam, quam præstaturum me in enarrando eam fidem & sedulitatem, quæ ab assiduo & fideli interprete requiri solet. Inchoabo autem enarrationem hodie hora quarta loco solito, & horter studiosos, ut frequentes ad cognoscendum Vergilium conueniant, decima quarta die Octobris 1555.

M. Anthonius Vualtherus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

ETsi disciplina in Academijs laxior est, quàm uolumus, tamen Dei beneficio doctrinarum studia apud nos rectiora sunt, quàm apud aduersarios. Et quantum interſit inter recte institutos & alios seu ἀδιδάκτους seu αὐτοδιδάκτους, quotidie experimur. Vetus dictum est, sibi quisq; Magister est peßimus. Et Nazianzenus iustè uituperat Theologos, qui non audierunt doctores idoneos, sed subito nascuntur, ut terra nati ex Titanum sanguine gigantes cœlo bellum inferunt. Vt igitur doctrinæ conseruentur, honestis officijs cœtus & docentium & discentium tueri studeatis, in quibus certè multi sunt, qui sunt organa filij Dei & uasa misericordiæ, etiamsi sunt admixti multi dißimiles. Vult autem Deus regi omnes humanos

manos cœtus per certos gubernatores, & legibus honestis. Quare cum bono consilio constitutum sit, ut per interualla onus gubernationis alias alij sustineant, quia gubernatio labor est, non Tyrannis, & iustum est, interualla concedi ijs, qui tantum laborem ferunt, Cras Deo iuuante alius Rector eligetur. Petimus autem, ut omnes scholastici conueniant ad renunciationem electi Rectoris, & ut sciant, quem sint habituri Magistratum, & ut pijs & ardentibus uotis à Deo petant conseruationem ueræ doctrinæ & nostri cœtus salutarem gubernationem, quia certißimum est, filium Dei custodem Ecclesiæ suæ sedentem ad dextram æterni Patris, dare dona hominibus pastores & doctores. Quare & rectè docentium & discentium cœtus ei curæ sunt, & ut ipse filius Dei λόγος æterni Patris Dominus noster Iesus Christus semper sit Rector & custos huius Academiæ, toto cum pectore oremus. Anno 1555. Die 17. Octobris, quo ante annos 3861. Aræ Nohe primum quieuit, in qua etiam Rector erat Argonautarum suorum filius Dei.

RENVNCIATIO.

QVod faustum & fœlix sit, electus est Rector Academiæ clarißimus uir nobilitate ac uirtute præstans Dominus Ioachimus à Beust utriusq; iuris doctor et Professor. Huius

electionem uobis publicè renuncio. Multæ sunt enim causæ, cur talem renunciationem fieri publicè debeat, uos necesse est scire, cui mandetur magistratus, & utile est, me & senatum Academiæ palam profiteri, nos communi consensu huic magistratum mandasse, & studium atq; auctoritatem ad eum iuuandum, & suendam disciplinam collaturos esse. Præcipimus autem uobis, ut reuerenter huic Rectori Academiæ nostræ deinceps obtemperetis propter mandatum diuinum, quod Paulus Apostolus his uerbis recitat: Necesse est obedire, non solum propter iram, id est, propter pœnas, sed etiam propter conscientiam. Hæc uerba infigite intimis sensibus pectorum. Nihil enim dici grauius potest ad sanciendam disciplinam, et muniendum ordinem politicum, quàm quod Paulus ait, conscientias à Deo auelli & fieri hostes Dei, si sint contumaces Magistratibus: Quid est autem tristius, quàm à Deo auulsum & damnatum esse? Ideo propter Deum flectite animos ad piam obedientiam erga Magistratus. Pro quo officio Deus præmia daturum se promittit in hoc præcepto: Honora patrem & matrem, ut sis longæuus super terram. Deinde mementote scholas esse partem Ecclesiæ Dei præcipuam. Ideò sitis modestiores, ne mali mores dedecorent Ecclesiam Dei, & mœrorem adferant Spiritui Sancto in bonis. Nunc uero tibi nouo Rectori hunc Scholasticum cœtum commendo, & has

hæc Rectoris signa trado. Et cum Filius DEI Dominus noster IESVS CHRISTVS, crucifixus pro nobis, & resuscitatus promiserit, se semper adfuturam esse Ecclesiæ suæ inuocanti ipsum, oro, ut ipse huic parti Ecclesiæ, scilicet cœtui Scholastico interfit, & te, & nos omnes gubernet, imo ut ipse perse sit Rector nostræ Academiæ perpetuus, sicuti uerè est pontifex, & caput Ecclesiæ suæ, & seruet studia doctrinæ, per quam celebratur Deus, & uera inuocatio & officia Deo grata docentur, Amen.

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA A DIE LVCAE ANNI M. D. LV. PER Hybernum Semestre usq; ad Calendas Maij anni 1556. Rectore uiro nobilitate generis & eruditione præstante D. IOACHIMO ABEVST, utriusq; iuris Doctore, & Professore in Academia Vuitebergensi.

IN PRAELECTIONEM PHYSICES ET DIALECTICES.

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas,
Et ui naturam discere cura fuit.
Fœlix à falsis qui scit secernere uera,
Et non in dubium quem trahit error iter.
Naturæ sapiens quia contemplatio mentem,
Vnde sacer rerum cœperit ordo, docet.
Esse Creatorem qui condidit omnia, clamat
In cœlo quidquid machina pulchra teuet.
Esse Deum constat, peragunt quod candida cœli
Immota uarias lumina lege uices.
Quòd pinguem decorant, fragrantia germina terram,
Quòd non planta suis usibus ulla caret.
Herba quòd humanis morbis uel spreta medetur,
Flosculus & uilis membra dolore leuat.
Quòd uictum fundit tellus, animantia certas
Quòd generant species conuenientè modo.
Quòd te nosse potes, miros & corporis artus,
Pars sit & officio quælibet apta suo.
Hinc cum cernatur diuina potentia passim,
Tum notat in primis pars homo parua Deum.
Huic est impressum turpis discrimen & æqui,
Ceu radius puro sparsus ab igne Dei.
Noticias hic habet quæ semina sacra ministrant
Artibus, absq; quibus uita manere nequit.

Ex

Ex atomis igitur temere sic illa coisse,
Quis, nisi qui pugnat cum ratione, feret?
Ergò sit huic Physicæ doctrinæ gratia, quæ nos
Mystica naturæ perdocet atq; Deum.
Heu mihi cur tenebris nunc est mens mersa, profundis
Plurima cur latitant abdita uera speci?
Cur nunc non penitus solerti indagine rerum
Scrutari causas possumus atq; Deum?
Quàm fuit in primo dulcissima uita uigore,
Hæc sobolem quando cuncta docebat Adam.
Sit Physices quamuis obscura scientia, certo
Sed tamen hanc uerbo comprobat ipse Deus.
Altius & studio ueram penetramus in artem,
Crescere lux mentis sedulitate solet.
Huc sed opis quantum iungat Dialectica uersu
Commemorare satis nulla Thalea potest.
Hæc oculos mentis fossos in gurgite cœni
Tollit & abstergit, ceu Plato docte refers.
Adiuuat hæc animum pulsa caligine cæca,
Vt propius rerum cernere uera queat.
Fortassis ramus fuit aureus iste, Sibylla
Aeneam cuius carpere mala iubet.
Pingitur auricomo ramo sapientia rerum,
Hunc nemoris nostris mentibus umbra tegit.
Naturæ ingreditur non quiuis templa sacratæ,
Ni studium gnaua sedulitate iuuet.

Osten-

Ostendatq; aditum Veneris fœcunda columba,
Per quam tu Λογικῶ docta iuuenta cape.
Hac ala poteris uolitare per omnia, largi
Naturæ fontes quæ tenuisse queant.
Hac ala uectum per scripta diserta Sophorum
Te fugient nullo dogmata uera loco.
Quare turba bonis Musis addicta, placebit
Si tibi conatus consiliumq; meum,
Artem quòd Λογικῶ Physicæ coniungere tento,
Hac uti prompta commoditate potes.
Ipse tuis summum studium promitto Camœnis,
Hoc studium saltem tu Deus alme iuues.

Nicolaus Scheller
Coburgensis.

centem Ionam Haraldi Suecum, qui hac nocte decessit, ac pietatem quidem suam in hoc ultimo agone uitæ non obscurè declarauit. Nam ardenti inuocatione & fiducia filij Dei Domini nostri Iesu Christi animam suam Deo commendauit. Hortamur igitur Scholasticos, ut hodie hora quarta in platea apricæ ante ædes Sutoris Andreæ Vuerwicks conueniant, ad pium funeris ritum, & ad communem præcationem, in qua suam quisq; uitam, & Ecclesiæ salutem Deo commendet. Die octauo Nouembris Anno 1555.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

ORamus filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, caput & custodem Ecclesiæ suæ, ut adolescentes, qui doctrinarum studia colunt, clementer regat & incolumes seruet, ne unquam Ecclesijs seminaria desint, uitam etiam suam singuli ita instituant, ut & studia & pij mores ornent Ecclesiam. Hæc diligentia Deo grata est, & cum in hac uita, tum in futura præmia habebit. Intelligimus autem tali animo fuisse honestum adolescentem

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

APud Homerum celebrantur Caucones Henetis uicini à flumine Cayco. Hos cum Henetis processisse in hanc Arctoam regionem nomen ostendit. Nam Cayci ueteri adpellatione nuncupati sunt, qui sedes habuerunt à Brema uersus Bructeros, id est, uersus Brunsuigam, ubi hodie est regio Luneburgensis & Schauuenbergensis. Et in ea Germaniæ parte Caycorum mentionem facit Claudianus. Vnde apparet fuisse eius eximiam uirtutem, ut nunc quoq; ingenijs, robore corporum, & usu militiæ excellit. Est autem oppidum in comitatu Schauueubergensi Rintelen. Vbi natus est

Stephanus

Stephanus Bomfenius, qui cum ingenio & eruditione instructus fuerit, docuit adolescentiam in oppido Giffhorn latinam linguam & Catechesin Christianam, qui labor & uitæ & Ecclesiæ utilissimus est, & Deo gratus. Vt autem antea in exercitijs pijs uixit, ita nunc in morbo & confessionem piam edidit, & se filio Dei ardentibus uotis commendauit, & ut uiator, qui nocte iter fecit, lætatur auroræ conspectu: sic ipse sperans se in illam cœlestem Academiam uenturum esse, ubi non ut in hac uita caligo est, sed diuinitas, & copulatio diuinæ & humanæ naturæ in filio, & causæ mirabilium operum Dei, sine caligine cernuntur, lætabatur. Et initia huius sapientiæ rectè in hac uita didicerat. Est igitur in numero eorum, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Corpus autem hodie hora 12. sepelietur. Quare scholasticos, ut ad funeris ceremonias propè ædes honestæ uiduæ Francisci Dhen conueniant, hortamur, & ibi singuli cogitantes de uitæ imbecillitate, & de publicis periculis, suam uitam, & salutem communem pijs precibus Deo commendent. Die 16. Decembris.

Anno 1555.

DE REPETITIONE LOCORVM THEOLOGICORVM

NOtissimam esse prodest omnibus sententiam Epiphanij, in qua sunt hæc uerba: πάντα τὰ θεῖα ῥήματα οὐκ ἀλληγορίας δέῃτε, ἀλλ' ὡς ἔχει θεωρίας δὲ δέῃται καὶ αἰσθήσεως εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὸ δίκαιον, Ait non omnia in allegorias transformãda esse. Quia enim diuinitas patefacta est misso filio, qui est λόγος æterni Patris, uult nos Deus habere certas, firmas, & immotas noticias de essentia sua, & de uoluntate, de lege, & de promissionibus, uult articulis fidei non indui uarias formas, ludis allegoriarum, ne amittatur certitudo. Inquit autem Epiphanius, θεωρίας δέῃται, καὶ αἰσθήσεως. Opus est speculatione & sensu. Speculationem nominat modum docendi, sicut manifestum est, diuinitus institutum esse ministerium Euangelij, ut homines doceantur, quam ad rem opus est cognitione phrasis, & uiæ docendi, distinctione membrorum, & definitionibus. Necesse est rudibus enarrari uocabula & membra doctrinæ ordine proponi. Sciendum quid nominetur lex, quid peccatum, quid Euangelium, quid gratia, quid iustitia, quid fides. Harum uocum omnium enarrationem necessariam esse maximè ostendunt horum temporum certamina, in quibus compertum est multorum seculorum

ſeculorum triſtes tenebras fuiſſe, quia Eccleſia linguam ſuam oblita erat, & ut uerbis Euripidis utamur, inter barbaros barbarica facta erat. Et ſubinde nunc quoq; diſcedunt à ſimplici harum uocum intellectu hi, qui noua bella noſtris Eccleſijs inferunt, ut Oſiandro, Lauterualdo, aliud ſignificant iuſticia, & fides, quàm Paulo. Poſtulat igitur Epiphanius Θεωρίαν, id eſt, formam docendi, in qua adiuuamur cognitione linguarum, Dialectica, & alijs doctrinis, ſed ita, ut metæ ſeruentur, ne à nativa ſententia ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum, ne à Symbolis diſcedatur. Totam hanc diligentiam de ratione docendi complectitur Paulus, cùm iubet ſermonem Dei ὀρθοτομεῖν. Deinde in docentibus & diſcentibus poſtulat Epiphanius ſenſum, id eſt, pectus, quod in uera conuerſione ſenſit timorem & conſolationem, iuxta dictum : Qui non eſt tentatus, qualia ſcit ? Prophani, qui nec expauescunt cogitatione iræ Dei, nec in ueris doloribus eriguntur conſolatione, non intelligunt, neq; dicta de ira Dei, & de timore, neq; conſolationes, neq; fidei motus, ut ſurdi non poſſunt harmonias in cantu iudicare. Sapienter igitur in docente uiam docendi, & in utroq; pectus docile Epiphanius requirit. Hæc bona ut tribuat nobis filius Dei, toto eum pectore oro. Semper autem in Eccleſia aliqui fuerunt, qui doctrinæ membra ordine diſtribuere conati ſunt, & hoc

& hoc conſilio primum facta ſunt Symbola, poſtea longior enarratio Damaſceni acceſſit, & aliæ aliorum. Nunc multis in manibus eſt liber locorum Theologicorum editus à Philippo Melanthone, ante annos aliquot, cui tamen ipſe nunc addit enarrationem ſymboli Niceni, in qua ſunt materiæ quædam magis dilucidè enarratæ. Decreui igitur & mei exercitij cauſa, & ut iuniorum ſtudia adiuuem, publicè repetere librum iſtum locorum Theologicorum, & huic labori tribuam duos dies ſingulis ſeptimanis, Horam quartam dici Merarij, & diei Saturni, quod eò ſignifico, ut qui me audituri ſunt, tunc conueniant in auditorio Collegij maiori. Neq; hoc agam, ut argutis diſputationibus res ſimpliciter traditas inuoluam, ſed ut plane incorruptam ueritatem, quæ in Eccleſijs noſtris DEI beneficio lucet, exponam. Vtile eſt enim eaſdem res ſæpe cogitari, & quidem ſtatim inde uiq; ab adoleſcentia. Nam ὀψιμάθεια infœlix eſt, & multo minus dociles ſunt ſenes, quorum mentes iam occupatæ ſunt peregrinis cogitationibus, quàm iuniores, præſertim qui docendi, & diſcendi uiam ex alijs artibus utcunq; didicerunt. Hanc militiam Deus ſcholaſticis præcipuè commendauit, ut Eccleſiæ doctrinam diſcant, & ad poſteritatem tranſmittant incorruptam, & propter gloriam Domini noſtri IESV CHRISTI, & propter multorum ſalutem. Præſtemus igitur in hac

militia fidem, & simul ardentibus & assiduis uotis petamus, ut filius Dei sedens ad dextram Patris, dona det hominibus, regat mentes & studia nostra, & faciat nos organa salutaria nobis & alijs. Hæc cum faciemus, nos hac uera consolatione confirmemus: Non erit labor uester inanis in Domino. 1555.

M. Cunradus Becker.

EPITAPHIVM CLARISSIMI VIRI IVSTI IONAE

Sacræ Theologiæ Doctoris, de Ecclesia Christi optime meriti.

TV quoq; magnanimi comes explorate Lutheri,
Iustificam Iona docte docere fidem.
Quam bene deponens oneroſæ tædia uitæ,
Nunc alio melius uiuis in orbe, senex?
Sicut adhærentem latus ad sociale docentis,
A Sancto nunquam uate retraxit amor:
Sic monstrata sequens noti uestigia Christi,
Sparsisti unanimi dogmata uera sono.
Pugnantem calamo, facundoq; ore tonantem,
Te coluit ueris turba dicata bonis.
Cum lachrymis iret lugens undantibus Albis,
Fleret & adflictum Sennonis ora decus.
Te populosa piè complexa est Halla docentem
Atq; alio fato nollet abisse tuo.

Excepit

Excepit lætis uenientem Francia uotis,
Doctrina nondum est quæ saturata tua.
Tu quoq; fodisti fontes in ualle doloris,
Adfluit unde animis tristibus orta salus.
Ergo coronatus cœlestia præmia Doctor,
Ante Deum, Christi munere iustus habes,
Inter & Heroas qui sicut sidera fulgent,
Perpetuus cœli gaudia ciuis agis.
Sic age, uiue, uale, uita meliore superstes,
Sola est, in Christo uiuere, uita pijs.

ALIVD.

NOmen erat iusto, cognomen nobile Ionæ.
Cura Euangelium grata docere mihi.
Vrbs Hieræ primum Musas me fouit amantem,
Mox clarum Eloquij uiribus Albis amat.
Addictum celebri dum me uidet ille Luthero,
Ingenio merui nomen habere meo.
Hinc iusta ad celebres egit me causa Salinas,
Doctorem excepit Francia læta Senem.
Et docui, & uixi, monui uelut ante Lutherus,
Pectore saluificam fassus & ore fidem.
Grata meos legit cineres Brisgoia, mortem
Ante hominem obij, uiuo sed ante Deum.

Anno 1555.

Iohannes Stigelius.

ANNO 1555.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

VIr ingeniosus & eruditus est Magister Gallus Schamrot, hic natus, qui Euangelium recte & fideliter docet in Ecclesia Dei in oppido nobis uicino Iuterbog. Eius uiri pater senex, qui expertus est magnam luctam in suo corde, & cogitatione Euangelij, adiuuante filio Dei, & assidua precatione depulit tela Diaboli, heri ex his aerumnis ad cœlestem Ecclesiam euocatus est, & placidè in inuocatione filij Dei ex hac uita decessit. Hortamur igitur Scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora tertia propè ædes Domini Philippi conueniant, & singuli suam uitam & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent, & de suis & de publicis periculis cogitent. Habebit enim uentura æstas tria magna & horribilia bella: Turcicum in Pannonia, Gallicum in Belgico, & in media Germania intestinum ad Menum, & in uicinia ruunt imperia, ut uidemus. Quare filium Dei custodem Ecclesiæ precemur, ut iustam iram leniat, & nos in cymba sua inter fluctus protegat & seruet. Die 19. Decembris, Anno 1555.

Sequitur

ANNO 1556.

SEQVITVR ANNVS A NATALI CHRISTI M. D. LVI.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

GNate Dei facito, nobis uenientis ut anni
Tempora labantur numine fausta tuo.
Fac precor, & causa est. Nam ceu præsagia dicant,
Nunc noua tristificum bella minantur opus.
Turcicus Eoo ueniens ex orbe Tyrannus,
Impia Pannonijs inferet arma plagis.
Celticus Hesperios miles populabitur agros,
Et late bellis omnia uasta dabit.
Eheu cur iterum stagnantem sanguine Menum
Cerno, & purpureis intumuisse uadis?
Horrida uicinis surgent certamina terris,
Quo signat medium Teutonis ora locum.
At mala nos quamuis hæc aduentura uidemus,
Ponimus in gnato spemq; fidemq; Dei.
Hic Deus in canis olim qui uagijt infans,
Pro nostra supplex uota salute facit.
Hic etenim (miranda loquor) regnator olympi
Humanæ uoluit sumere carnis onus.
Vnde amor iste, rogas? tetigit miseratio mentem,
Cum uidit nostræ tristia fata necis.

V 3 Siccine

Siccine, dixit enim, diuinæ fabrica mentis,
Siccine Satanica fraude peribit homo?
Sed Pater omnipotens arsuras exuit flammas,
In me uertit manum, me duce saluus erit.
Fraudis ego tantæ uindex Acherontia mouebo,
Inuicta ponens iusta trophæa manu.
Vt rapuit gratis quæ non sua nouerat hostis,
Sic redimam gratis agmina rapta mihi.
Annue propitius nato Pater alme precanti,
Sanguine fac nostro sit reparanda salus.
Talia in arcano credamus dicta senatu,
Contulit æquæuo cum genitore λόγον.
Dicitur ergo λόγος, nam consilia abdita patris,
Diuino interpres proximus ore sonat.
Vtq; λόγος dicit, sic certa lege mouentur
Omnia, sic fiunt, ut fieri ipse iubes.
Cur dubitant homines, ueniæ locus an sit, & ullus
In genus humanum numinis an sit amor?
Pignore quid maius tali? quod plena refulget
Maiestas, splendor, lux & imago Dei?
Isq; adeò est, certum uerbo qui colligit agmen,
Qui uocis seruat dogmata pura suæ.
Quiq; subit mentes hominum, numenq; paternum
Monstrat, & agnouit quo sine nemo patrem.
Nec sinit ut frustra uentosas lapsa per auras,
Irrita doctrinæ uox sit ubiq; suæ.
Grata sed afflictis intus solatia dicens,
Flectit ad æternum pectora uersa patrem.

Humanos artus hic nostri motus amore,
Ex patria ueniens induit arce λόγον.
Quod nisi decretum Patris sapientia Christe
Sanxisses, iræ quis uoleraret onus?
Victima sed factus, sceleris uestigia nostri
Oblita Christe tuo cuncta cruore lauas.
Sic benè seruamur, ceu surculus arbore frondens,
Sic sumus à massa uiuida membra tua.
Sic è uitifero proserpit caudice palmes
Germen agens, uiuo luxuriatq; solo.
Nec sonat hæc aliud tua consolatio Christe,
Sum tibi uitis ego, tu mihi palmes eris.
Nate Dei consors hominum dignate uocari,
Vindice quo nobis uita salusq; redit,
Corpora nostra tuæ purgatis insere massæ
Sordibus, ut tecum uita perennis eat.
Da tua supplicibus ueneremur numina uotis,
Oraq; da laudis sint tuba nostra tuæ.
Ac rege nos uiuo complexus semper amore,
Agmen & in nobis collige Christe tibi.
Talia uos animis meditantes uoluite castis,
Doctrinæ cupidos quos sacer urget amor.
Quæq; Deus nostro præsepia diligat æuo
Discite, quæ cunas sueta mouere manus:
Nempe ministerio Christus se monstrat, & idem
Voce sui uerbi corda renata subit.

Quare agite in fidos gratus sit quisq; ministros,
Non absit meritis gratia digna pijs.
Et casta dextra castas adportet ad aras,
Vt decet officij debita signa pij.
Anno 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

OMnibus ætatibus omnes sapientes Ethnici miserati sunt, unde sit hæc ingens moles calamitatum in genere humano, Mors, & destructio hominis tanta arte fabricati, morbi innumerabiles, dolores animi, incendia priuatarum cupiditatum infinita, facilimi lapsus, rabies odiorum, cædes, bella, uastationes magnarum gentium. Ac multi propter hanc ipsam magnitudinem malorum cogitauerunt, tàm præstantem naturam non ad tantas miserias conditam esse, sed restare portum aliquem. At filius Dei ex sinu æterni Patris ueras consolationes nobis protulit, & eas illustribus testimonijs confirmauit, Resuscitatione mortuorum & alijs. Hic ostendit, quæ sint miseriarum causæ, & docet restare aliam uitam, in qua iusti erunt æternum templum Dei, & fruentur eius luce, sapientia, iustitia & lætitia. Contra iniusti sentient iram & pœnas. Intueamur ergo æternitatem, & sciamus huius mortalis uitæ spacium iter esse ad aliam uitam,

tam, & credamus filio Dei, qui dixit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Hac summa consolatione pij se in omnibus doloribus confirment. Hac fide se etiam filio Dei commendauit honesta & pia matrona Elisabeth coniunx clarissimi uiri Christophori Arndt Doctoris utriusq; Iuris, cum toto uitæ tempore, tùm uero iam etiam in morbo & agone. Nata est in familia honestissima ex patre Sebastiano Rot, Doctore artis Medicæ, qui excelluit artis cognitione, usu, consilio, fide, & imprimis officiosus fuit. Cùm tenera eius ætas ad intellectum & amorem uirtutum formata esset, etiam studiosè didicit doctrinam de filio Dei, & in ea uera Dei agnitio per Christum accensa est, & cæteræ uirtutes à Spiritu sancto inchoatæ sunt, quas uult esse in pijs. Hæc æterna bona cum haberet, placidè ex hac uita decessit, quanquam & coniugis & dulcissimi filioli amore magno teneretur. Nec dubitemus eam in numero illorum esse, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Vtq; Stephanus uidens filium Dei, dixit: Domine Iesu accipe Spiritum meum: Ita ipsa sentiens certò præsentiam filij Dei sæpe eadem uerba repetiuit: Domine Iesu suscipe Spiritum meum. Hortamur autem lectores & auditores, ut hodie horæ duodecimæ ad pias funeris ceremonias conueniant, & in his singuli suam uitam, suas familias & Ec-

eleſiam Deo piis precibus commendent, cogitantes & de fugacitate uitæ, & de publicis ærumnis & periculis, quæ ut clementer gubernet Deus, toto eum pectore oramus. Die Stephani Anno 1556.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACAdemia Vuitebergenſi, Antonius Vualterus.

Magni conſilij qui dicitur Angelus eſſe,
Aeterno natus de genitore λόγος.
Edidit Iſacidæ læta hæc oracula uoce,
Cui fuit exilij duxq; comesq; ſeni:
Non prius amittet Sceptrum Iudæa propago,
Quàm uenict Siloh miſſus ab arce poli.
Perpetuæ reddet uobis qui gaudia uitæ,
Crimina cum proprio ueſtra cruore luet.
Cur tamen eſt dictus ſeruator nomine Siloh?
Quod de uirgineo corpore fœtus erit.
Et fragili ſimilis chorio pelliq; cruentæ,
In cruce cum tabo uulnera facta fluunt.
Talis at eſt factus pro nobis faſcia Chriſtus,
Quanquàm iuſticiæ fons ſine labe manet.
Nos homines autem uere tam ſordida maſſa,
Nos lacerum Chorion putre reumq; ſumus.

Sed

Sed tu gnate Dei noſtras etiam indue pelles,
Et uitam miſeris inſere faſciolis.
Nec tamen hanc reddis niſi qui tua dogmata diſcunt,
Tantum hanc ad uitam uis Deus eſſe uiam.
Ergo precor ſtudia hæc tu ſemper dirige Chriſte,
Et fac ut Chorion ſit ſchola caſta tuum.
Ac quoniam prodeſt Tyronum noſſe labores,
Nunc ad cenſuram uos uoco more ſcholæ.
Doctrinæ ſpecimen qui ſunt monſtrare parati,
Vt decet, hos iubeo uomina ferre mihi.
Non his officium, non promptam denego mentem,
Par homini eſt homines demeruiſſe ſibi.
Tu precor hos cœtus diſcentum Chriſte guberna,
Aeterni Siloh uera propago patris.

Anno 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

ETſi non dubium eſt impendere magnas & triſtes imperiorum ruinas, Vt uidemus Pannoniam à Turcis, Italiam ab Hiſpanis & Gallis uaſtari, Angliam habere domeſticas ſeditiones, Germaniam ardere diſſenſionibus, quæ ſunt ſemina magnorum bellorum: tamen hanc ueram conſolationem teneamus, & ſeruari Eccleſiam à filio DEI, & nos in ea ab ipſo geſtari, ſicut in gremio Paſtor geſtat agnos recens editos. Hac

ſpe iu-

ſpe iuniores & optent longiora uitæ ſpacia, & Deum inuocent, uitæ, ſapientiæ, & iuſticiæ fontem, ut & concedat longiorem uitæ curſum, & eum gubernet, ſicut ſcriptum eſt: Commenda Deo uiam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. Adhibeant etiam mediocrem curam tuendæ ualetudinis, cibo, potu, ſomno conuenienti. Quanquàm enim multò plures nocturnis belluationibus & diſcurſationibus adfligunt corporis uires, tamen aliqui etiam nocturnis lucubrationibus ſtudiorum impediunt coctionem, & cruditate morbos attrahunt & alunt. Erit aliqua Eccleſia, ſed ut in ſenecta imbecillis, ſed tamen huic ſe & ſeruari optent, & præparent ingenia adoleſcentes pij. Amiſimus nunc honeſtum uirum Magiſtrum Iohannem Sidelium Olauienſem, qui & optima doctrina ſe inſtruxerat, ut natura erat omnium doctrinarum capax, & inuocatione, & pia morum gubernatione Deum recte colebat. Ac in docendo iam oſtendit ſpecimen & eruditionis & optimæ uoluntatis, poterat & ingenij uis conſpici in eius ſcriptis, in ſoluta oratione & carmine, in quo & facilitas & nitor erat laude dignus. Etſi optaremus eum diutius in hac militia docendi nobiſcum uixiſſe, tamen ipſe quidem ea bona adeptus eſt, quorum cauſa maximè uita expetenda eſt. Recte didicit doctrinam de Deo, & aliquandiu alios utiliter erudijt. Et cum alias aſſidue, tum uero etiam in morbo ſeuera inuocatione filio

filio Dei commendauit. Nec dubitamus eũ in numero illorum eſſe, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur autem Scholaſticos, ut ad funeris Ceremonias hora prima conueniant ante Collegium, & ſinguli cum ſeipſos, tum uero totam Eccleſiam et hoſpitia Eccleſiarum Deo pijs precibus commendent, ſicut de his poſtremis temporibus præcipuè dictum eſt: Orate ut poſſitis effugere uentura mala. Profecto ſecuritas, contemptus periculorum, & prætermiſſio inuocationis attrahent grauiores pœnas. Ideo nos cogitatione uoluntatis Dei & periculorum noſtrorum ad ardentem inuocationem excuſitemus. Die 16. Ianuarij 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

OMnes cœtus in Imperijs, in urbibus, & ſingulis familijs uult Deus conſociatos eſſe ad hoc ipſum munus, ut ſint templa, in quibus ipſe habitet, ut ſuam lucem, ſapientiam, bonitatem, iuſticiam, & uitam communicet recte inuocantibus ipſum. Itaq; non ſatis eſt, urbem ornatam eſſe ædificijs, inſtructam rebus neceſſarijs ad uictum, munitam legibus, armis, præſidijs, ut fuerunt Maſſilia, Sparta, Athenæ. Tales enim urbes cum non eſſent

essent templa Dei, sed uero Deo maledicebant, quid erant nisi lustra, in quibus Diaboli horribiliter exercebant furores suos, et impellebant hominum animos, ad blasphemias, cædes, libidines? Oportet igitur urbem & familiam domicilium esse ueri Dei. Tales sunt urbes ac familiæ, quæ sonant incorruptam uocem Euangelij sine discordijs, Deum rectè inuocant in agnitione & fiducia filij Dei, disciplinam honestè regunt, & adolescentiæ tradunt ueram de Deo doctrinam, & eas linguas, & artes, quibus Ecclesia, & honesta gubernatio indiget. Talis urbs, præsertim cum etiam ijs rebus, quæ uitæ corporis necessariæ sunt, instructa est, ingens Dei donum est. Id agnoscere et sæpe cogitare debemus, ut Deo operæ celebremus, & ab eo hæc bona petamus, hoc est, ut sit noster ciuis, propugnator, & œconomus. Talis urbs est Dei beneficio Hamburga, quæ & templum est ueri Dei, in quo Deus rectè inuocatur, sonat uera doctrina, adolescentia fideliter eruditur, ac disciplina honestè regitur, quæ eo etiam alijs multis antecellit, quia est Aristocratia, sine Tyrannide & discordijs. In ea urbe cum natus fuerit Nicolaus Gryp, etiam domestica disciplina ad pietatem & uirtutem institutus est. Erat enim Patris tanta sapientia & uirtus, ut Rex Danorum Christianus, cuius est excellens sapientia & iusticia, multum eius industria uteretur. Et linguam latinam, & fontes doctrinæ de Deo

de Deo rectè didicit. Nam & apud reuerèdum uirum D. Ioachimum Vestphalum familiariter uixit. Intelligimus autem fuisse corpus Nicolai δυνάμει νοσερὸν. Sed Dei beneficio tantisper uixit, donec & didicit doctrinam de filio Dei, & sua inuocatione, & confessione testimonium de filio Dei ostendit, cum in toto uitæ cursu, tum uero in hoc morbo, in quo Ecclesiam & patriam, & sese ardentibus uotis filio Dei commendauit. Heri mane cum tota nocte nihil loquutus esset, hæc uerba clare pronunciauit: Omnes credentes in filium Dei, habent uitam æternam, Ego Nicolaus credo. Postea quanquàm uox languidior erat, precationes repetiuit. Non igitur dubitemus eum in illo numero esse, de quo dicitur: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris ceremonias conueniant hora duodecima, ad ædes Martini Schenken, in quibus singuli sese, & Ecclesiam ueris gemitibus & precibus Deo commendent, quia profecto maiora sunt periala communia & priuata, quàm multi securi & furentes cæcis cupiditatibus existimant. Oramus autem filium Dei, ut cœtum scholasticum protegat & gubernet.

Postridie conuersionis Pauli.

Anno 1556.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

ETsi adolescentes qui in agnitione & inuocatione filij Dei ex his ærumnis ad cœlestem Academiam discedunt, antequam in hac uita maiores calamitates experiuntur, & dissidijs publicis implicantur, multo fœliciores sunt nobis, qui in hac periculosa & durissima militia retinemur, tamen Deus orandus est, ut longiora uitæ spacia bonis ingenijs tribuat. Amisimus autem hoc mense commilitones ualdè honestos, M. Iohannem Sidelium, qui iam alios utiliter docebat, Postea Hamburgensem Nicolaum Gryp. Nunc filium doctoris Medici Iohannis Schutz, Ieremiam Schutz adolescentem modestum, amantem doctrinæ studia, & rectè inuocantem Deum. Pater fuit natus in oppido Sueuiæ in aditu syluæ Martianæ, ut nominatur, quod à Friderico Secundo Imperatore conditum est, ac hodie nomen latinum Villæ retinet, ubi & reuerendus uir Iohannes Brentius natus est. Tubingæ fuit uiri doctissimi Georgij Simleri conuictor, à quo didicit græcæ linguæ initia. Postea cum Medicæ doctrinæ studium inchoasset, in Italia peritissimis & ingeniosissimis Medicis familiaris fuit, Norimbergæ multis in medendo industriam, fidem, & fœlicitatem ita probauit, ut à bonis omnibus & diligeretur & expetere-

tur.

tur. Ad has uirtutes addidit ueri Dei inuocationem, quam ad medicandum etiam adferebat. Cum autem tales commilitones breui interuallo amiserimus, hortamur uos omnes, ut in precatione & in uictu diligentiores sitis. Ac Deum oramus, ut uos omnes seruet & gubernet. Idem precamini in ceremonijs funeris, ad quod conueniatis hodie hora 4. Die 29. Ian. Anno 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

CVm tanta moles sit calamitatum generis humani, quibus & pueri, & alij, qui sunt sine manifestis sceleribus, onerati sunt, ratio etiam in illis, qui doctrinam Propheticam non audierant, disputauit, oportere aliquem portum tantarum miseriarum restare, quia non uidetur consentaneum, tantam naturæ præstantiam non ad aliud, nisi ad hos tantos cruciatus conditam esse. Nos uero scimus ad hoc ipsum missum esse filium Dei, ut & restitutor sit & testis de futura uita post hanc uitam. Hic & mortuos reuocauit in uitam multos, & reuixit ipse, & magnum agmen secum reduxit in uitam, & quadraginta diebus familiariter uixit cum magna multitudine auditorum. His confirmati testimonijs, sciamus restare aliam uitam, etiam cum ex hac mortali consuetudine abducimur, & causas cogitemus,

 cur

tur hæc natura his ærumnis tantis subiecta sit, ut etiam Ethnicus scriptor dixerit, πᾶν ὅσον ἄνθρωπος συμφορή, & quas in hoc carcere ueras consolationes habeamus. Præcipuè autem simus memores huius doctrinæ, quod nulli sint hæredes cœlestis Ecclesiæ, nisi in hac uita fuerint ad Deũ conuersi, et Ecclesiæ huius uitæ ciues facti sint. Quare ad hoc iter nos præparemus. Sic se & honestus adolescens uera pietate præparauit, Nicolaus Ramus Rigensis, qui hodie ex hac Academia in cœlestem euocatus est, & in hoc morbo sæpe repetita confessione de filio Dei, & inuocatione se filio Dei commendauit. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris ceremonias ante ædes Iohannis Fausti compactoris conueniant hodie hora quarta, ubi singuli sese, & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent, præsertim cum uideant, quàm sint incerta huius uitæ spacia. Pridie Calend. Febru. Anno 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

MEminimus duos fratres Geuderos, natos in familia Noribergensi ueteri, nobili & ualdè honesta, hic mortuos esse contagio, & id contagium serpsisse ad hospitem Doctorem Sebaldum

dum Monsterum, & eius coniugem, & plures alios. Nec huius oppidi aer uenenatus erat. Hic enim noti sunt siderum positus, qui luem corporibus passim minitantur. Sed cognoueramus contagium ex suburbio allatum esse. Nunc quæ causa sit morbi, qui unius sodalitij adolescentes adfixit, non scimus, nec aeris uenenum esse arbitramur. Sed quæcunq; causæ est, sciamus nos nec nasci casu, nec mori casu, ut Dominus inquit: Vnus ex istis passeribus, non cadet super terram, sine uoluntate Patris uestri. Et capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Iterum amissimus modestum studiosum, & pium adolescentem Iohannem Pressetterum, natum in oppido Hersbrug, qui cum antea fuerit auditor honestissimi & eruditissimi uiri Sebaldi Heiden, rectè didicerat initia doctrinarum, & ad honestam disciplinam & ueram Dei inuocationem assuefactus erat. Processit hic postea in Philosophiæ initijs, & doctrina Ecclesiæ, & animi pietatem uera inuocatione Dei & agnitione declarauit. Nunc etiam in agone sæpe sese, & Ecclesiam, & parentes & patriam filio Dei commendauit. Ac non dubitamus eum ad cœlestem Academiam accessisse, in qua lætus iam coram ex Filio Dei audit fontes eius sapientiæ, cuius initia hic discere debemus. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora quarta ante Collegium conueniant, in quibus singuli &

ſuam uitam & Eccleſiam Deo pijs precibus com-mendent. Die 4. Februarij. Anno 1556.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, ANtonius Vualterus.

FAmiliariſſimè nota ſit omnibus ſententia Syracidæ recitata in capite 33. Αὐὴρ σοφὸς ὃν μισήσει νόμον, ὁ δὲ ὑποκρινόμενος ἐν αὐτῷ, ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον Feri homines Cyclopes, Epicuræi, Pyrrhonij ſapientiam eſſe duxunt, nullos doctrinæ frenos paſſi, ſed ludere fingendis opinionibus infinita petulantia, & ruere quaquaq; impellunt cæcæ cupiditates. Hæc nominant libertatem & celſitudinem animi, extra doctrinarum & legum carcerem uolitantis. Sed Siracides retrahit nos ad doctrinas & leges, adfirmat hunc eſſe ſapientem, qui non odit legem, ſed ſe uoci diuinæ ſubijcit, opiniones, conſilia, actiones, continet intra metas, quas Deus nobis circumdedit. Neceſſe eſt igitur fontes doctrinarum rectè diſcere, quos qui amant & ſequuntur, hi certò erunt domicilia Dei, & ab eo gubernabuntur & protegentur. Contrà uerò qui fremunt aduerſus legem Dei, ut Catilina, Nero & alij impij, hi opinionibus & cupiditatibus, errantes, uagantur ſine Deo, & quaſſantur, ut cymba in tempeſtate

ſtate, nullum habent portum, in quo acquieſcant, & attrahunt ſibi inextricabilia mala. Ac uocabulum inſigne in textu ponitur ἐν καταιγίδι, quod ſæuam tempeſtatem ſignificat, à nomine ſideris, quod capella nominatur, quam Græci nuncupant αἴγα, quæ cum in Nouembri oritur orta Achronycho, magni flatus cientur. Inde & Homerus uerbum fecit ἐπαιγίζειν, in ſecundo Iliados. Hæc cò recitauimus, & ut dulciſſimum dictum Syracidæ notius fiat, & ut ſingulos commoneſaciat de neceſſitate doctrinæ. Cum igitur ſciamus, Deum uelle ſuam uocem audiri & conſiderari, & nos ei ſubijci, amemus ſtudia doctrinarum, & ſcholaſticas operas, quia certè ſine his lumen doctrinæ retineri non poteſt. Ideo ſemper Eccleſijs ſcholæ adiunctæ fuerunt. Quare Deo gratias agamus, quòd nobis etiam ſcholas ſeruat, & eas noſtris laboribus ornemus. Quare cum hodie publicum examen futurum ſit, hortor omnes doctos uiros, ut ad illud honeſtum & eruditum colloquium hora prima conueniant. 6. Februarij.

IN SECVNDVM PLINII.

QVi uentis ſecundis, & ſereno cœlo fœliciter nauigant, ubi remigandi labor non requiritur, ſolent Nautæ & uectores, animi recreandi & fallendi tædij cauſa uaria luſuum

genera usurpare, & alea, chartis, cantu aut iocundis narrationibus sese oblectare. Sed cum uenti mutantur, cœlum nubibus obducitur, in mari procul fluctus attolli cernuntur, & latera nauis illisu undarum quassata, crepare & gemere quasi incipiunt, nemo ita uoluptatum appetens est, nisi prorsus mente captus sit, qui tunc etiam lusibus indulgeat, cum naufragium metuendum est, & non potius ad remos, & alias commissas operas accurrat, aut sibi de tuto loco prospiciat, communes labores nautarum, quantum potest, adiuuet, & se suasq; res totamq; nauim Deo precibus commendet. Ita nos, qui in Ecclesia tanquam in naui uehimur, cum lætiora & tranquilliora erant tempora, potuimus in studijs etiam iocunditatem aliquam quærere, & uel Poetæ casti, uel Historici grata & dulci lectione animum defatigatum seriarum rerum studio, reficere. Nunc cum sint tristiora tempora, & undiq; nos magnarum mutationum & uastationum metus circumsistat, non iam licet amplius nobis, quæ iocunda sunt & grata in discendo, excerpere, sed periala admonent nos, ut artes eas tantum, quarum cognitio necessaria est, & amplectamur, & raptim discamus, quasi non diu habituri uel similem tranquillitatem, quale Dei beneficio aliquot iam annos post huius scholæ instaurationem habuimus: uel eandem etiam lucem doctrinarum, quam necesse erit obscurari, si illæ Impe-

Imperiorum turbationes, & politiarum, in quibus sunt Scholarum hospitia, uastationes ingruent, quas tot quasi continuata prodigia nobis minantur. Quare qui non prorsus & Deum & suam salutem uili pendunt, commonefacti his tantis periculis, non iam procul impendentibus, instruent se & doctrina Ecclesiæ propria, et aliarum artium cognitione, quæ ad explicationem cœlestis doctrinæ necessariæ sunt, hoc maxime fine: Primum, ut ipsi in communibus calamitatibus firmam consolationem & spem habere possint salutis æternæ, & mitigationis pœnarum, quam Deus pœnitentibus & orantibus toties promisit. Deinde ut si in communi naufragio ipsi emerserint, & post tempestatem aliquantulum sedatam, superfuerint, fractæ nauis tabulas colligere, & ruinas suo quisq; loco & ordine, proq; uirili sua sarcire queant, ne lumen cœlestis doctrinæ & utilium artium prorsus extinguatur. Constat autem Physicam doctrinam multis de causis in Ecclesia necessario retinendam esse. Nam profectò multæ disputationes de uarijs doctrinæ cœlestis partibus expliari intègrè sine erudita & sobria Physica non possunt, & adfert etiam communi uitæ plurima præsidia, partium naturæ diligens aspectio. Propter quas causas hæc Philosophiæ pars merito in eo loco artium collocatur, quæ non tantum uoluptatis causa cognoscendæ sunt (quæ tamen ipsa quoq; uoluptas naturæ

consideratione maxima comitatur) sed præcipuè necessitatis causa expetendæ sunt. Cum autem alij Physici libelli, qui solent in hac schola prælegi, ab aliis doctis uiris nunc eruditè enarrentur, iussus sum ipse secundum librum Plinij studiosæ iuuentuti proponere, qui quamuis exiguus, tamen multas eruditas disputationes Physicas atangit, quarum explicatio lucem adfert cæteris scriptis, quæ integrum doctrinæ Physicæ corpus continent. Eius libelli ut breuis & illustrati erudito cõmentario festinatam lectionem ueriùs, quàm enarrationem, auspicabor, Deo iuuante, ad diem Iouis proximum, hora matutina septima, ad quam conuenire poterunt ij, qui ita in studijs uersari decreuerunt, ut non tam iucunda, quàm necessaria se discere debere cogitent. Cæteris qui animi causa temerè suo arbitrio in disciplinarum campo uagantur, & facilia tantum eligunt, & paulò insuauiora & requirentia aliquam animi intentionem reformidant & auersantur, tandem hoc eueniet, ut cum diu in literarum studio uersati esse uideantur, eis tandem uerè occinatur illud Senecæ: Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus. Die purificationis Mariæ, Anno 1556.

Paulus Eberus.

DE

DE PRAELECTIONE ISOCRATIS.

HOmerus commendaturus Vlyssem oratorem præstantem, duas ei res maximas attribuit, prudentiam uidelicet, & eloquentiam. Sic enim inquit: Σοὶ δ' ἔνι μὺθ μοςφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαὶ. Est tibi mens præstans, & dotata gratia linguæ.

Non etenim dubium est, cognitionem de Deo, de rebus bonis in natura, de artibus, de legibus, ac cæteris rebus dulcissimis, & faaultatem sapienter, propriè ac ornatè de ijs rebus dicendi, esse uirtutes pulcherrimas, & uitæ hominum maximè utiles ac necessarias. Etsi autem nemo nostrum illam excellentem perfectionem adsequitur: tamen necesse est monere uersantes in studijs, ut animum optimarum rerum scientia instruant, nec ingenia inutilibus materijs consumi patiantur, & ut adsuefaciant sese ad curam rectè & perspicuè loquendi, qua neglecta Cimmeriæ tenebræ sequũtur in doctrina Ecclesiæ, in iudicijs & in omnib. uitæ negotijs. Prodest igitur intueri exempla eorum, qui sapientissimè de rebus maximis scripserunt, & rectè loqui studuerunt. Vtrunq; uerò magna cum laude præstitisse oratorem Isocratem manifestum est. Nam de moribus hominum priuatorum ac principum, de gubernatione politiarum,

de legibus, de pace, de consilijs in bello, & de plurimis alijs materijs, admonitiones reliquit grauissimas. Vnde in tanta fuit admiratione apud reges Macedoniæ, ut Alexander legens splendidissimam orationem, scriptam ad Philippũ, statim commotus sit, ut constituta pace in Græcia, bellum transferret in Persiam. In loquendo uerò tanta est ipsius suauitas, ut et Platonis iudicio, & omnium deinceps sententijs prælatus sit oratoribus omnibus. Nam cum uetustas negligentior fuisset in sententijs ordine distribuendis, et in Syntaxi, ipsi & naturalem ordinem in sententijs adhibuit, & hyperbata uitauit. Estq; oratio ipsius propria & minime fucata. In inuentione facilis, & sapientiæ politicæ plena. In compositione uerò adeo diligens, ut nihil neq; in ordine, neq; in distinctione desiderari queat. Ac Plato exagitator Rhetorum quã honorifice de Isocrate æquali suo sentiat, postrema pagina Phædri satis indicat, ubi sic scribitur: Δοκεῖ μοὶ ἀμείνων, ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους, τὰ τῆς φύσεως. Ἔτι δὲ ἤθει γενικοτέρῳ κεκρᾶσθαι, ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν προϊούσης τῆς ἡλικίας, εἰ περὶ αὐτοὺς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων, ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρῆσαι ταῦτα, ἰπὶ μείζω δὲ τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμῇ θειοτέρᾳ φύσει γὰρ ὦ φίλε ἔνεστι τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ.

Quod

ANNO 1556.

Quod est, secundum uersionem Ciceronis in Oratore: Maiore mihi ingenio uidetur esse, quàm ut cum orationibus Lysiæ comparetur, præterea ad uirtutem maior indoles, ut minime mirum futurum sit, si quando ætate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, quantum pueris reliquis præstet omnibus, qui unquam orationes attigerunt, aut si contentus his non fuerit, diuino aliquo animi motu maiora concupiscat. Inest enim natura Philosophia in huius uiri mente quædam. Vtilissimum est itaq; huius genus dicendi cognosci ab omnibus, qui orationi formandæ incumbere uolunt. Quare, ut & me ad curam rectè loquendi adsuefaciam, & alijs pro mea tenuitate prosim, decreui interpretari Isocratem, ac initio παραινέσεις scriptas ad Demonicum explicabo, in quarum uestibulo rerum grauitas & eloquij suauitas adparebit. Dabo autem operam, ut auditoribus præstem fidem & diligentiam, & ipsorum studia in discenda Græca lingua Dei auxilio adiuuem. Inchoabo prælectionem in ædibus Magistri Pauli Eberi, Præceptoris reuerendi, uicinis templo, die Mercurij hora nona.

Iohannes Hofferus
Coburgensis.

ANO-

ΑΝΟΝΥΜΟΣ.

Ἑιματολευκοφόροι, φαιοσκυδρωποπρόσωποι
ζητωδιφθόγγοι, χθιματομικιοσπάται,
Ὑγιεσοκαθημαλίοσανγοι, εἰδωλοσεβασαι,
Λευκτροδικαιόφυγοι, πορνολαθραιστρόφοι,
Ἐξαπατεσιάδαι, κοσμεπαιπτροπευταί,
Καλλιτριχιππεβάται, κορματοθηρασίδαι,
Φαναγιόφθαλμοι, ὁλοοφρενιλαθραφυτευταί,
Αἱματοδιψαλέοι, κορδαλεοφρόνιμοι,
Βομβαρδοξιφεστιχοινεγχεσιπυρδιάλεκτοι,
Βιβλοθεφυγάδες, κοσμοματαιόσοφοι,
Διαβολοπορρέες, παχυσκοτοφρονιωκται,
Ὀρθοφρενιπλανέες, ταρταροφοιτύμοροι.

*

Candidaueſtigeri, faciesimulanteſeueri,
Pulchroperotumidi, miſſapecunifices,
Quotidiechriſtocrucifigi, idolicolentes,
Connubiſanctifugæ, clammeretricitegæ,
Verſidolopelles, totorbiperambulitechnæ,
Altæaballequites, fraudepecunilegi.
Fictoſanctoculi, mentexitioſiſerentes,
Sanguinicrudibibæ, pectore celidoli.
Bombardagladiofunhaſtaflammiloquentes,
Bibliaſacrifugæ, deſipidiſcioli,
Nigrideonati, craſſætenebriſtudioſi,
Mentebonapriui, tartarerimmypetæ.

Gigan-

GIGANTES CLAMORE ASINI DISSIPATI.

IMpia cum ruerent Titanes in arma furentes,
Conati ætherceas perfodere enſe domos.
Iupiter at patrijs depelleret arcibus hoſtes,
His tamen inaſſus nec pauor inde foret:
Mentitis imitans Pan Aegocerota figuris,
Terruit hac ſpecie grandia monſtra truci.
Sed neq; tunc fracti bello ceſſere Gigantes,
Bacche tuus uector donec Aſellus abeſt.
Ille rudens rauco dum claſſica perſonat ore,
Anguipedes turpi dant ſua terga fugæ.
Haud ſecus Autolyci callentes furta Sophiſtæ,
Dicentes uero crimina multa Deo:
Terribili fugient Aſini clamore repreſſi,
Bella μεταφορικῶς exitus hic ſequitur.

Philippus Melanthon.
Anno 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

CVm filius Dei dominus noſter Ieſus Chriſtus in cruce ſuſtinuit iram Dei pro nobis, uniuerſa rerum natura dolorem ſuum oſtendit. Terra tremefacta eſt, Rupes diſſilierunt, Sol contra naturæ

naturæ ordinem amisit lucem suam, Apostoli tanto in dolore sunt, penè ut extinguatur in eis fidei scintilla. Mater intelligens quid agatur, & expectans uictoriam filij, tamen tanto in mœrore est, quantum perferre nemo alius in genere humano potuisset. Et hæc fiunt omnia, ut nosmet ipsi commonefacti de ira Dei aduersus nostra peccata doleamus. Eo ipso tempore Ethnici Bacchi orgia furenter celebrabant, bellua bantur, discurrebant ebrij totas noctes, ruebant in concubitus promiscuos, Romæ etiam Luperci nudi omne genus licentiæ sibi sumebant. Hanc collationem lugentis Ecclesiæ & impiorum furentium intuentes cogitate, utros imitentur isti, qui nunc quoq; discurrunt ebrij, personati & tumultuantes.

Cum autem impietas sit, hoc præsertim tempore, quo inde usq; ab initio mundi doctrinam de morte filij Dei Ecclesia proposuit, quo tempore & filius Dei maxima certamina & mortem sustinuit, omissa cogitatione de tantis rebus Ethnicos furores imitari: Nos seuerè prohibemus discursationes personatorum diurnas & nocturnas, item uociferationes in platcis & tumultus. Quid est indignius, quàm non affici cogitatione de morte filij Dei, & de causis mortis? Qualis stupor est, cum in conspectu sint pœnæ publicæ & priuatæ, exultare tamen homines lætitia, nec sensu calamitatum adfici? Nibil ne ad uos Ecclesiæ dissidia, contumeliæ Dei, bella domestica, Turciæ uasta-

tiones, dolores & miseriæ parentum uestrorum pertinent? Harum maximarum rerum conspectu moueri omnes oportebat, non solum ut dolorem nostrum modestia ostenderemus, Sed etiam ut filio Dei gratias ageremus, quod hostia pro peccato nostro esse uoluit, quòd æternam Ecclesiam colligit, quod nos ad ueræ Ecclesiæ societatem uocat, regit hospitia Ecclesiæ, deinde & mitigationem pœnarum ardenti precatione peteremus. Hæc certè fieri necesse est. Hæc fecerunt Christo morienti, duæ sapientes sorores, Mater Christi & coniunx Cleophæ.

Cogitate hoc quoq;, quæ agmina tumultuantes circumdent, Diaboli, & qui olim Bachi orgijs interfuerunt, & Ethnicorum animos ad multa scelera, ad contemptum Dei, ad idolomanias, ad libidines, furta, cædes impulerunt. A tali satellitio abhorrere omnes speremus.

Contra uerò adsunt castorum angelorum exercitus modestis et uerum Deum inuocantibus. Ideo uos obtestamur propter filium Dei, propter Ecclesiæ dolores, propter uestra pericula, ut modesti sitis, et huic edicto obtemperetis. Speramus multos inter uos & natura moderatos esse, & cũ doctrina, tũ uero etiam spiritu sancto regere mores. Hi lætentur his nostris cõciombs. Contumaces uerò uel magistratus, uel Deus puniet, et plerũq; fit, ut proprij furores eos in pœnas impellãt. Oramus autẽ filiũ Dei dominũ nostrũ Iesum Christũ cruci-

crucifixum pro nobis & resuscitatum custodem Ecclesiæ suæ, ut nos omnes gubernet, & semper inter nos æternam Ecclesiam colligat, Amen. 15. Febr. Anno 1556.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI ANnonius Vualterus.

TEncamus hanc firmam consolationem, quam quotidie recitamus in Symbolo : Credo esse Ecclesiam Catholicam, firmissima adsensione statuamus, non totum genus humanum ad exitium conditum esse, sed certo colligi Deo æternam Ecclesiam, & quidem uoce doctrinæ, & non aliter, ac uelle Deum, ut singuli nos ad eum cœtum adiungamus, & doctrinam à Filio prolatam reuerenter discamus. Etsi autem hanc uoluntatem Dei magna multitudo furenter contemnit, & infinita licentia ruit in uaria scelera, tamen est, & erit exiguus cœtus, qui fatetur & fatebitur filium Dei ad homines missum esse, & sentit ac sentiet doctrinam eius sonantem in Ecclesia non fabulosam esse. Quanquam igitur multi nostras admonitiones, & uocem doctrinæ contemnunt, tamen non dubitamus nostros labores aliquid prodesse, sicut scriptum est : Non erit labor uester inanis in domino. Et Salomon iubet abijci panes

panes in aquam, ac adfirmat id beneficium aliquibus profuturum esse. Hac spe operas scholasticas facimus, cum sciamus mandatum Dei esse, ut doctrina conseruetur, & filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, λόγον καὶ ἐικόνα συναΐδιον ἀϊδίᾳ πατρὸς, *uere colligentem æternam Ecclesiam, ueris genitibus oramus, ut nos gubernet et adiuuet, & depellat furores Diabolorum, qui in hac neglectione disciplinæ atrocius grassantur, ut contumelia Deum adficiant, & plures ab eo auellant. O rem tristem & deplorandam, quòd iuuentus adeo laxet frenos cupiditatibus, nec cogitat de Diabolorum insidijs, de dolore filij Dei, de contumelijs & ira, & de pœnis publicis & priuatis. Obtestamur igitur uos omnes, ut & doctrinæ studia & modestiam propter gloriam Dei, & propter uestram salutem ametis. Cumq; iam publicum testimonium his daturi simus, quorum nomina adscripta sunt, petimus, ut conueniatis ad renunciationem gradus, & adferatis mentes pias, & nobiscum uota faciatis, ut Deus leniat publicas & priuatas pœnas, & regat omnium studia, & faciat hos quoq;, qui ornantur gradu, uasa misericordiæ, & organa salutaria sibi & alijs. Datæ die Matthiæ, Anno 1556.*

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS.

NOrica gens olim proxima fuit Pannonijs, à flumine Aeno, ad montes Cæcios porrecta, nec ignota fuit græcis propter ferrum. Nam & Strabo inquit, dici ab Homero νώροπα χαλκόν, à regione Norica, inde & hodie pars Germaniæ nomen retinet Noriam, & consentaneum est, appellationem factam esse à North, id est, Arctoa parte, ut Græci ab Arcto, id est, ab ursæ propinquitate nominarunt partem terræ oppositam meridianæ. Inde nostra appellatio est North nach Arct, uersus ursam. Nunc Austriæ Ostrich nomen habet illa regio, id est, regnum orientale, ibi oppidum est supra Anasum Gemunda, in quo oppido natus est ex honestis parentibus Vuolffgangus Kugler, cuius ingenium fuit doctrinæ capax, & mores fuerunt honesti. Nam & propter ueræ doctrinæ cognitionem ex patria cum periculo huc profectus est, & fortassis Deus ante uitæ finem uoluit eum in hæc loca uocare, ubi uocem ueræ doctrinæ audiret, & in hoc morbo confessionem fidei ueram sæpe repetiuit, & sese filio Dei Domino nostro Iesus Christo sæpe commendauit repetita hac sententia: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Est igitur hic Vuolffgangus in numero eorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funus conueniant hodie hora quarta ante eius hospitium, quod non procul est à domo uiri honesti concinnatoris librorum Conradi Neidelij, & ibi singuli sese & Ecclesiam pijs precibus Deo commendent. Die 27. Februarij. Anno 1556.

RECTOR ACADE-
MIAE VVITEBERGENSIS.

ET Ecclesiæ causa dolemus, bona ingenia ex hac militia ante tempus auferri, & ipsis adolescentibus optamus spacia uitæ longiora, & propter parentum dolorem in maiore mœstitia sumus. Sed scimus non casu uitam dari, aut auferri, sicut scriptum est: Ipse fecit nos, non ipsi nos. Iustum est autem obtemperare Deo omnes, et morientes et superstites, flectamus animos, ut aliquo modo uelimus obedientiã Deo debitã præstare. Magna res est hæc patientia, sed necessaria est, et Deus adiuuat eã in his, qui eum inuocant, siat inquit: Cum ipso sum in tribulatione. Sensit igitur præsentiam filij Dei in morbo & morte uir pius Georgius Scriniarius, natus in inclyta urbe Noriberga, qui & semper antea modestè & piè uixit, & in hoc morbo quotidie filio Dei sese, & patriam, & matrem uiduam commendauit. Hortamur igitur scholasticos, ut hodie hora 4. ad funus conueniant ante Collegium, & ibi singuli sese & Ecclesiã Deo pijs precibus commendent. Pridie Cal. Mar. 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

INclyta urbs est in aditu Boemiæ ad radices montium, qui Sudetes nominantur, cuius appellatio est Egra, id est fiber seu castor. Multos enim fibros nasci in flumine proximo narrant. Vetus nomen apud Ptolemæum existimatur esse, Monsgarda, id est, lunæ hortus. Et profecto loci & urbis amœnitas summa est, & olim pertinuit urbs ad imperium germaniam. Ibi enim & pompa coniugij Friderici Barbarossæ cum filia Comitis de Voburg celebrata est, & senatus habet ueteres Imperatorum literas. Postea Boemi eam suo regno adiecerunt. In ea urbe natus adolescens Franciscus Conon, qui heri obijt, in his uicinis Academijs aliquandiu uixit, cum magna laude modestiæ & pietatis. Et in hoc agone sæpe repetiuit confessionem piam & inuocationem filij Dei. Præcipuè etiam dixit se dolere propter luctū matris. Nec uerò dubitamus eum in numero eorum esse, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur igitur Scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora quarta conueniant in uico, qui à capro nomen habet, & singuli sese & Ecclesiam Deo commendent. Hortamur etiam, ut & considerent, quid corporibus in uictu conueniat, & in tuendo ordine sint firmiores. Die 2. Martij, Anno 1556.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HOc anno, mensis Lunaris, & initium ueteris anni prorsus congruunt ad mensem Lunarem, & ad pascha, in quo Agnus Filius Dei in cruce pro nobis uictima factus est, ante annos 1522. Fuit igitur hesternus dies, dies quo uelut triumphali pompa Christus ingressus est Ierosolymam, & exceptus à populo gestantē frondes palmæ, ut uictorem significaret, & oleæ, ut ostenderet se ab hoc Domino pacem petere. In ea pompa filius Dei probans pietatem puericiæ, inquit: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Hanc uocem ad nos quoq; pertinere, non dubitemus. Sciamus placere Deo pia studia, quanquam ualdè imbecillium. Heri autem mortuus est adolescens Paulus Fuchsius natus in pulcherrima Europæ parte, quæ nunc Transyluania nominatur, qui talis fuit, ut Psalmus inquit: Qui iuuenis laudes Dei celebrabat. Nam hoc biēnio uidimus eum magna assiduitate & diligentia & linguam græcam, & Philosophiæ initia, & doctrinam Ecclesiæ discere, & iam ita processerat, ut docere alios posset. Quare Ecclesiam patriæ dolemus tali ingenio orbatam esse. Sed uoluntati Dei obtemperandum est, qui euocauit eum in Ecclesiam & Academiam cœlestem. Nam & in hoc ipso agone etiam

filium Dei celebrauit, & uictorem mortis esse agnouit, & sese ei commendauit, ac fide se erexit, petens et expectans cœlestis Ecclesiæ societatem, in qua coram cernet & audiet filium Dei docentem, postquam inita doctrinæ in hac uita hausit, ut infantuli lacte aluntur. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora duodecima in Collegio conueniant, & ibi singuli & suam uitam, & Pannoniæ & Germaniæ salutem Deo ardentibus uotis commendent. Die 21. Martij, Anno 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HOc die 24. Martij ante Annos 1522. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus in agone suo tantam consternationem & tantos dolores sensit, ut toto corpore cruor manauerit. In hac lucta fuit propter nos, quia iram aduersus peccata hominum in sese effusam sustinuit, doluit cernens maximam partem generis humani perituram esse, spreto ipsius beneficio. Etsi autem Athei & doctrinam filij Dei, & mortem rident, ac prætereunt crucem, ut tunc impij Iudæi, & ludunt Saracenis: tamen nos, qui perhiberi uolumus auditores filij Dei, flectamus pectora ad cogitationem de causis tantorum dolorum eo, & de ipsius beneficijs. Iacet ibi filius coram

coram æterno Patre, sustinens iram aduersus tua, & mea peccata. Flagitabat iusticia diuina pœnam & λύτρον. Hanc pœnam filius in sese transtulit, factus pro nobis uictima, ut nos fieremus iusticia Dei in ipso. Hic pro te precatur, & petit tantum bonum, quo maius nihil cogitari potest, uidelicet, ut Pater æternus sic diligat nos, sicut ipsum Filium diligit. Nec uerò est ardentior amor ullius, quam paterna στοργὴ erga filium. Ad has cogitationes excitari nos omnes oportebat. Et quotidianæ ærumnæ, & impendentes pœnæ monere nos debebant, ut cogitaremus nos non casu nasci, Deum iudicem esse, & misisse filium, ut opem ferat inuocantibus ipsum. Ad has cogitationes tu fili Dei domine Iesu Christe flecte plurimorum animos propter tuam laudem, & pœnas impendentes lenito. Funera adsidua adolescentes de causis infirmitatis humanæ, & de auxilio commonefacere debebant. Multa enim bona ingenia hac hyeme mors immatura nobis eripuit. Nunc accessit mors uiri egregij Pauli Longicampiani, qui cum esset Doctor iuris, & in ciuitate honeste regeret publica consilia, iam utiliter seruiebat communi societati. Et tamen ea fuit ipsius ætas, ut interitum ipsius etiam immaturam esse queri possimus. Nondum egressus erat tricesimum annum, Itaq; & propter rempublicam mors ipsius deploranda est. Multis uero quæ norunt patrem, mœstissimam Matrem, & honestissi-

mam coniugem, & sobolem, priuatæ causæ dolorem augebunt. Pater Iohannes Longicampianus cum lustrasset omnes Germaniæ Academias, tandem propter Ecclesiæ doctrinam huc uenit, & initia Mathematum sedulo docuit. Mater uidit duorum filiorum funera. Nunc in senecta nepotes orphanos cernit. Sed his se consolationibus sustentat, quòd scit filium honeste uixisse, & Deum uera inuocatione coluisse, & hoc exiguum uitæ curriculum ad utilitatem publicam contulisse, & ante hanc migrationem ostendisse animi pietatem. Quotidie enim non modo sese, sed etiam cariſsimam matrem, coniugem, sobolem, & Ecclesiam Deo commendabat, ac adseuerabat, se, cum sciret homines non nasci, nec uiuere casu, sed uerè missum esse filium Dei ad colligendam æternam Ecclesiam, transiturum esse ad Ecclesiæ cœlestis societatem, & Deo patri orphanorum curæ futuram esse suam matrem, coniugem, & dulcisſimam sobolem. Sine hac luce fidei, quanta est miseria hominum? Et tamen multi cæca securitate fascinati laxant frenos ijs cupiditatibus, quæ fidem accendi non sinunt. Hos hortamur, ut de communi infirmitate cogitantes, fiant modestiores. Hæc præcipue cogitent hodie in funere, ad quod ut conueniant Scholastici hora duodecima ante ædes clarisſimi uiri Doctoris Laurentij Lindemann, mandamus. Simul autem mentibus intucantur admirandum agonem filij Dei, cum manans

nans cruore pro nobis, & pœnam sustinuit, & precationem dixit, qua nulla in cœlo & terra unquam ardentior audita est. Nec uero tantum ea hora pro nobis precatus est, sed quotidie eam repetit. Te autem fili Dei oramus supplices, ut accendas ueram fidei lucem in pectoribus nostris. Anno 1556. Die 24. Martij.

Vita quid est? Labor est, & habendi uana cupido,
Tristis ad extremum sollicitudo diem.

IN CAPITE IOHANNIS XVII. VERBA FILII DEI ad æternum Patrem sunt hæc in agone dicta: Ἵνα ἡ ἀγάπη, ἣν ἠγάπησάς με, ἐν αὐτοῖς ᾖ κἀγὼ ἐν αὐτοῖς. Sit dilectio tua in eis, qua me diligis, & ego in eis, carmine reddita à Philippo Melanthone.

NEc tu gnate Dei maius meliusue rogare
Aeternum poteras optime Christe patrem,
Quàm quali ſoργῆ semper te diligit ipse,
Diligat & simili nos ut amore pater,
Nec tribui nobis hoc possit munere maius,
Quid nati posset maius amore dari?
Non apud æternum facis irrita uota parentem,
Adfirmat iurans hoc pater ipse tibi.

Erga nos etiam es patrij tu pignus amoris,
Iussus pro nobis debita λύτρα dare.
Nos igitur quanquàm sumta ægra et sordida massa,
Credimus ista tamen munera summa dari,
Confisiq; tua prece Christe, periala nostra
A summo petimus cuncta parente regi.
Tuq; regas seruesq; infirmos numine, quibus
In nostris uiuens mentibus esse λόγος.

AD IMAGINEM VENERIS.

Libera cui placeat Veneris sine munere uita,
Nollit ut uxorem ducere, rarus erit.
Non tenet hunc sobolis nec amor nec̃q; cura nepotum,
Qui fugit imperium parue cupido tuum.
Legitima uerò peragens cum coniuge uitam
Hauriet à Domino commoda magna Deo.
Nescia proferam cum pectora fraudis uterq;
Vnanimi thalamo fœmina uirq; gerunt.
Vestibus ut demptis Venus hic est corpore nuda,
Pectora habens alba candidiora niue:
Sic amor illorum sit fœdi criminis expers,
Qui sacra coniugij iura subire uolunt.
Mutua cura duos habeat, sincerus & ardor,
Vt uideant longos, & sine lite, dies.
Sit procul à uero fucatum pectus amore,
Integer est quisquis non simulanter amat.
Forsitan hoc nudæ Veneris designat imago,
Edidit artificis quam tibi docta manus.

Iohannes Langerus
Coburgensis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Omnibus mundi temporibus antecelluit gloriæ paschatos, in quo filius Dei Dominus noster Iesus Christus cum mortuus fuisset, sua potentia uitam recepit, & quadraginta dies familiariter uixit apud Apostolos, & se in magna frequentia sæpe ostendit, multa cum suis disputauit, ac eodem tempore magno agmini primorum patrum reddidit corpora, & adiunxit eos sibi comites ad cœlestem cum Deo consuetudinem, ut deinde cœlestis Ecclesiæ magna frequentia esset, qui & ipsi cum matre uirgine, & cum Apostolis sæpe familiariter collocuti sunt, nec dubium est, quin matronæ illæ, Heua, Sara, Rebecca, Lia, Rahel, & aliæ, sæpe assederint apud Mariam & apud sororem, & narrauerint suas aerumnas & liberationes, & in itineribus ostenderint Mariæ, in quibus uestigijs, quæ testimonia Deus de se ostenderit. Tales congressus fuisse, & talia colloquia, prorsus nihil dubitamus. Et in his congressibus non

bus, non ſolum agnouerunt pij teſtimonia oſtendi de æterna uita, ſed etiam didicerunt regnum Chriſti non eſſe politicum, & qualis futura eſſet illa æterna uita conſideraucrunt. Suntq; hæc teſtimonia propoſita ad confirmandam fidem in nobis omnibus. Ad hanc utilem & dulciſſimam conſiderationem in his ferijs, flectamus animos. Et ſint mentes compoſitæ ad cogitationem tantarum rerum , ad gratiarum actionem, & ad inuocationem. Profecto horribilis ingratitudo eſt hominum, cum Deus tàm multa naturæ bona nobis tradiderit, & filium miſerit ad redimendam & colligendam æternam Eccleſiam, tantam eſſe in harum rerum cognitione ignauiam. Sed oremus Deum æternum patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, ut nos petentes auxilium adiuuet, ſicut dictum eſt: Quantò magis Pater cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus. Hoc etiam in hac cogitatione de reſurrectione piæ mentes complectantur. Regnum filij Dei, non ſolum eſt regnum in illa æternitate poſt reſuſcitatam uniuerſam Eccleſiam, ſed uerè eſt regnum in hac uita colligentis æternam Eccleſiam. Nunc ſeruat miniſterium Euangelij, eſt immediate efficax uoce Euangelij, uocat & flectit mentes non repugnantium, colligit, ſeruat, & protegit Eccleſiam mirandis modis inter ingentes humani generis confuſiones, ut ſeruauit tres uiros in flamma Babylonica. Sic Paulus diſcernit modos regni. Tradet regnum Deo

num Deo et Patri. Regnat in hac uita filius λόγος per miniſterium Euangelij, in regno ſcaturo clarè conſpicietur diuinitas, nec uoce miniſterij adprehendetur. Nunc igitur uult nobis adeſſe filius Dei, nunc uult regni ſui officia facere, uult nos exaudire, protegere, iuuare, intercedit pro nobis aſſidue, & ſedet ad dextram æterni Patris, ut det dona hominibus. Sit igitur ardens inuocatio, & credamus nos uerè exaudiri, ac petamus ſanari uulnera Eccleſiæ, & nos doceri, regi, ſeruari, & protegi ſicut dicit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Magnum impedimentum eſt inuocationis, cogitare homines in hac uita regi propria ſapientia, poſtea initium fore regni Chriſti, Has tenebras ex animis pelli, & agnoſci præſentiam filij Dei in Eccleſia in hac uita, neceſſe eſt. Teneamus hanc conſolationem, quam ſæpe repetit: Ego ſum uitis, uos palmites. Sine me nihil poteſtis facere, Manete in me, & ego in uobis. Certò ſtatuamus filium adeſſe Eccleſiæ ſuæ, nos geſtare & ſeruare, & hac fide petamus & expectemus omnia bona ab ipſo promiſſa, ſalutem, auxilium, & gubernationem. Et ſciamus hanc fidem & inuocationem præcipuos Dei cultus eſſe.

Cum autem per miniſterium Euangelij regnet filius Dei, & nobis adſit, ueneremur rectè docentes, & amemus publicam Eccleſiæ congregationem, & concordiam & coniunctionem tueamur, ſicut ſcriptum eſt:

ptum est, non deserentes congregationem uestram. Vt igitur conspiciatur exempli causa reuerentiæ significatio erga ministerium Euangelij, hortamur singulos Scholasticos, ut munus ad Aram adferant. Datæ in Paschate, anni 1556. quod est ab exitu Israelitarum ex Aegypto Pascha 3065. Cum tot annos continuo seruauerit Ecclesiam filius Dei, agimus ei gratias, quod in hoc Paschate etiam nos seruat, & ut deinceps, donec Ecclesiam uniuersam ex morte resuscitabit, colligat sibi cœtus ipsum inuocantes, toto pectore precamur. Seuerè etiam prohibemus omnibus scholasticis, ne ascendant in aggerem, ubi multi uagantur, & uel aggeris partes lacerant, uel ipsi custodi molesti sunt. Cogitate uos hospites esse in aliena urbe, & certas esse hospitiorum leges. Cumq; Illustrißimus Princeps Dux Saxoniæ Elector Augustus &c. hospitium pijs studijs magno suo periculo & sumptu præbeat, iustum est, ipsi uicißim honestis officijs gratitudinem ostendere. Deniq; scitis de legibus hospitij scriptum esse, omnes in toto orbe terrarum, etiam feros homines, tamen uereri Deum, qui punit uiolantes iura hospitij: Sic enim scriptum est in Argonautico carmine:

Πάντες ἐπεὶ πάντῃ τοὺς μάλα κύντατος ἀνδρῶν
Ξεινίου αἰδεῖται ζηνὸς θέμιν ἠδ' ἀλεγίζει.

Mandamus etiam, ut qui uolunt esse auditores docen-

docentium in hac Academia, dent nomina Rectori, quia ad tranquillitatem oppidi, & hospitum, necesse est Scholasticos habere certum Magistratum.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

INdidit Deus ardentem & inenarrabilem στοργὴν parentum cordibus erga sobolem, ut cogitemus, & ipsum conditorem habere ueram & mirificam στοργὴν erga filium & erga nos. Quare pater Iohannes Straub Medicus uir honestus & officiosus, magno dolore adficitur, orbatus filio Iohanne, in quo & indolis bonitas iam lucebat, & mores erant honesti, pij, & paternam integritatem referentes. Iamq; adolescens rectè didicerat summam doctrinæ Ecclesiæ, & recte ac lætus inuocabat Deum in agnitione & fiducia Domini nostri Iesu Christi, & fœliciter inchoauerat studia Latinæ & Græcæ linguæ & Philosophiæ, ac bona spes erat aliquando usui futurum esse Ecclesiæ & Reipublicæ. Cum igitur pater magno in luctu sit, nos quoq; eius dolore adfici iustum est. Simul etiam precemur Deum, ut propter Ecclesiæ utilitatem aliqua bona ingenia posteritati seruet & gubernet. Etsi autem patris ingens mœror est, tamen cum

cum uerè amplectatur doctrinam de filio, iam in hoc ipso Paschate intuatur multitudinem, quæ certò reuixit ex morte, & hac se consolatione erigat, statuat hanc orbitatem non fore perpetuam, sed post non longum interuallum se rursus complexurem esse & matrem, & filium, qui tunc Patri gratias aget, quod rude ipsius pectus in prima ætate ad illam æternam Academiam, sapientiæ & lætitiæ plenam præparauerit. Hanc futuræ Ecclesiæ consuetudinem læti intueamur, & ad eam nos præparemus, ac sciamus humana omnia infirma et fragilia esse, siat uerè dicitur in uersu, quem uir optimus Doctor Caspar Cruciger recitabat: Omnia prætercunt præter amare Deum. Cum enim adolescens piè uixerit, fuit adhuc in eorum numero, de quibus dicitur: Talium est regnum cœlorum. Et cum hoc longo morbi tempore assidue se uera inuocatione filio Dei commendauerit, ad ipsum quoq; hæc uera consolatio pertinet, quæ inquit: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Te autem fili Dei domine Iesu Christe ueris gemitibus oramus, ut in nobis fidei lucem accendas & augeas, & semper inter nos æternam Ecclesiam tibi colligas. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora quarta ante ædes uiri integerrimi D. Iohannis Straub cõueniant, & sese ibi singuli & Ecclesiam pijs precibus Deo commendent. 7. Aprilis, Anno 1556.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

MEminimus honestam & sanctam matronam, quæ cum aliquot filios & filias amisisset, postea etiam maritum, quem uerè diligebat, amisit. Non multò post ædes ei incendio perierunt. Ibi cum ad eam accessissent amici, ut eam consolarentur, inquit illa: Non ex hoc incendio maximum dolorem accepi, sed interitus meorum longè maiorem & inenarrabilem mihi dolorem adfert. Hæc cum sciam, non accidere casu, sed Deo consilio, obedientiam ei præstabo, & oro, ut in ira misericordiæ recordetur. Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Tibi etiam Domino Deo nostro misericordia, etiamsi occidet me, sperabo in eum. Postea recitabat exempla Heuæ, Mariæ, Iob, & ipsius filij Dei, & addidit perorationem, oportet nos conformes fieri imaginis filij Dei, & in cruce, & in liberatione. Nunc quoq; in funere filiolæ uiri clarissimi Doctoris Laurentij Lindenman precemur filium Dei, ut parentes consoletur, qui sæpe hunc ingentem dolorem experti sunt. Adficiamur doloribus piorum, & inuenus eos uera inuocatione Dei. Scitis autem familiam Doctoris Laurentij honestam & piam esse. Et Doctor Laurentius utiliter seruit Reipublicæ in iudicandis multis controuersijs, & in

Principum deliberationibus. Certè in proximo conuentu Augustano præcipuam laborem sustinuit, cum decretum de pace Germaniæ factum est. Nec leuia sunt certamina talium conuentuum, ubi sunt aduersarij, multa infidi socij, magna acerbitas, uariæ insidiæ, & non solum prudentia & constantia, sed etiam magna circumspectione opus est. Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora duodecima ante ædes Doctoris Laurentij conueniant, & in funere singuli Ecclesiam, & sese Deo pijs precibus commendent. Die 8. Aprilis, Anno 1556.

CARMEN QVO SOLENT PVERVLI AD STVDIVM literarum in Scholam euocari, die Gregorij circa Aequinoctium uernum.

PHILIPPVS MELANTH.

VOs ad se pueri primis inuitat ab annis,
Atq; sua Christus uoce uenire iubet.
Præmiaq; ostendit uobis uenientibus ampla,
Sic uos ô pueri amet amatq; Deus.
Vos igitur læti pooperate occurrere Christo,
Prima sit hæc Christum noscere cura ducem.
Sed tamen ut Dominum possis agnoscere Christum,
Ingenuas artes discito parue puer.

Hoc

Hoc illi gratum officium est, hoc gaudet honore,
Infantem fieri notior ore capit.
Quare nobiscum studium ad commune uenite,
Ad Christum monstrat nam schola nostra uiam.

PETITIO ELEEMOSYNAE.

SCriptum est: Time Deum, & honore adfice Sacerdotes. Nec dubium est, Deum uicissim benefacere his, qui erga pios Sacerdotes benefici sunt. Aliter autem in Nosocomio Naoburgensi Sacerdos senex, cui & pedes & brachia παραλύσει languefacta sunt, qui & coniugem anum ægrotam habet. Et filius Ecclesiam aliquam docet. Etsi autem Senatus Naoburgensis hospitium & victum illi ægrotanti familiæ præbet, tamen accessione aliqua opus est. Petit igitur Eleemosynam propter Deum. Ostendit Deus iram suam iustissimam in publicis & priuatis pœnis, ut uidemus. Et tamen seruat Ecclesiam suam, ut in fornace Babylonica seruauit tres uiros inter flammas. Leniet igitur Ecclesiæ ciuibus inuocantibus eum, multas ærumnas, ne prorsus dissipentur pij cœtus. Quare pietatem uestram hoc officio erga ægrotum Sacerdotem & senem & eius ægrotam coniugem declarate.

Die 17. Aprilis. Anno 1556.

PSALMVS CXXXI.

VERSIBVS REDDITVS à Iohanne Stigelio.

Hoc tibi uiue Deus possum adfirmare scienti,
Te coram elato non ego corde fui.
Sum nihil, hoc memini, nota est mihi semper oberrans
Ante oculos massæ tristis imago meæ.
Non tumidum sapiens, proprijs nec uiribus audax,
Stulticiæ ingredior cæcus amore meæ.
Magna nec adfectans uiolentis somnio curis,
A quibus hoc distat futile plasma procul.
Agnouisse tui gaudens solatia uerbi,
In nutu posui spemq; fidemq; tuo.
Quando anima hæc altum sapiet, nec se ipsa coher-
Præsenti perget iussa silere Deo: (cens
Tunc puero similis materni lactis egenti,
Qui sit ab irata matre repulsus erit.
Nam ueluti macie depastus deficit infans,
Cum negat impatiens ubera nota parens:
Deficiens animæ, sic uis extinguitur omnis,
Quam pateris uerbi lacte carere tui.
Nulla salus homini, nisi quam largissima præstat.
Aeterni miseris uox patefacta Dei.
In solo confide Deo, quicunq; salutem
Expetis, hic prompta semper abundat ope.

Preces

PRECES AD CHRISTVM.

Svm miser, & non ulla dolens solatia noui,
Sumq; adeo culpæ nil nisi massa meæ.
At tu solus habes, mihi quæ solatia præstes,
Qui datus es massæ portio Christe meæ.
Mors tua Christe mihi uita est, uictoria regnum,
Labe mea morior, sanguine uiuo tuo.
Tu mihi rex pariter, pariter mihi Christe sacerdos,
Pro me namq; uolens munus utrunq; geris.
Destruis omnipotens ueteris scelus omne Draconis,
A quo omnis nostri manat origo mali.
Iratumq; tua placas pietate parentem,
Qua tuus in nobis crimina delet amor.
Ergò animam seruato meam, quam morte redemptã
E uita gaudes germen habere tua,
Viuo tibi, moriarq; tibi, tibi deniq; uiuam,
Te quia iustifica Christe præhendo fide.

Iohannes Stigelius.

Sile Domino, & ora eum. Anno salutis 1556. 22. Aprilis.

EPITAPHIVM.

Ante diem mœsto coniunx erepta marito,
Hic recubo uatis Barbara Stigelij.

 Me uir.

Me uirtus, candorq; animi, ſpecimenq; pudoris
Verſibus ornabunt chare maritæ tuis.
Sed decus hoc maius, quod toto pectore Chriſtum,
Cordiflua didici ſemper amare fide.
Ille etiam exceptam dextra, promptoq; ſequentem
Tranſtulit in regni gaudia plena ſui.
Quid gemis ô coniunx, iterum iungemur amantes,
Ante ipſum excipiet nos ubi uita Deum.
Ah quantum eſt didiciſſe mori? Sic tranſige uitam,
O homo ut in Chriſti uiuere morte queas.

Dilectiſſimæ coniugi Iohannes Stigelius poſuit in honorem glorioſæ reſurrectionis.

IN IMAGINEM DIVI CHRISTOPHORI.

TV quis es? ingenuè Chriſtum profitentis imago,
Cui nomen puer hic, quem fero, dulce dedit.
Quis puer hic? Chriſtus quæ moles tanta gigantis,
Exigui pueri cum leue portet onus?
Omnibus in ſpeciem paruus puer iſte uidetur,
Quo tamen eſt toto maius in orbe nihil.
Hinc opus eſt, animis ut ſint, & corpore fortes,
Qui Chriſtum populi ferre per ora uolunt.
Cur tamen ingrediens tumidi per marmora ponti,
Arborea infeſtas mole repellis aquas?
Per mare quod cæco peruerſum intellige mundum,
Ille

Ille animis præbet ſæua pericla pijs.
Arbore nil aliud niſi ſanctum intellige uerbum,
Rebus in aduerſis quod pia corda regit.
Hoc etenim inſtructi ruimus per ſaxa, per ignes,
Qui Chriſti meritum grande docemus opus.
Dic tamen hoc etiam, quid pendens mantica tergo,
Quid ſibi cum liquido piſce placenta uelit?
Certa pijs nunquam deſunt alimenta miniſtris,
Quiq; Deo fidunt, ſeruat alitq; Deus.
Porro quis inſignis cana procul ille ſenecta,
Prætius accenſa qui face monſtrat iter?
Fax præmiſſa refert uenturi oracula Chriſti,
Significat uates qui cecinere ſenex.
Huc ades ô hoſpes, tuoq; ô puer optime Chriſte,
Mecum habita, tecum uiuere, uera ſalus.

Iohannes Stigelius.

ΑΦΟΡΙΣΜΟΙ ΠΟΙΜΕΝΙΚΟΙ AD PASTOREM THEODORIENSEM.

QVi fers Chriſtum per magnum mare,
Et uis cum fructu prædicare,
Non currito niſi uocatus,
Et Chriſtianè ordinatus.
Paſce tibi commiſſum gregem,
Ante gratiam aue legem.

Prome noua & uetera,
Vrge fidem & opera.
Sed rectè sca uerbum uitæ,
Serues ordinata ritè.
Piè, sanè & prudenter,
Verecundè, reuerenter.
Dic uulgo necessaria
Et pueris utilia.
Simplex, breuis & honestus,
Vultu, gestu sis modestus.
Nec utaris locis mille,
Aut uerbis aulæ, fori, uillæ.
Nec teipsum laudes superbè,
Nec pungas alios acerbè.
Nec sis Thersites in regentes,
Aut debaccheris in absentes.
Non scurra leuis, aut morosus,
Nec hyperbolicè clamosus.
Nec Sophista maledicus,
Nec sis semper contrarius
Non trilinguis disputator,
Stultus stultis stulta fatur.
Ex Apostolis & Prophetis
Res & uerba tutò petis.
Sed interpretationes
Dant symbola & sani Doctores.

Christi

Christi modò spectes honorem
Nec uulgi pisceris fauorem.
Non uereare odia,
Aut hominum iudicia.
Nec cauponeris uerbum Dei.
Turpe lucrum obest rei.
In statione tua dura,
Nec causas alienas cura.
Nihil credas delatori,
Fallax, uanus rumor chori.
Custodi conscientiam,
Fidem, famam, prudentiam.
Crux & uerbum sana docent,
Fastus, ira, liuor nocent.
Nec zœlo quicquam noui tentes,
Fuge fanaticorum sentes,
Fidelibus te typum præstes,
Tantum uerbi uirgam gestes.
Non nisi cogitata feras,
Ingratitudinemq; feras.
Non queritor de tua caula,
Nec quærito fautum in aula.
Sed mussita iniurias,
Dic semper Deo gratias.
Iusta tua Deo indica,
Nec publicè te uindica.

Cautus tranquillitati ſtude.
Nec doctrinas nouas aude.
Non ſis fax aut tuba litis,
Sed pacificus & mitis.
Spartam nactus, ipſam orna,
Nec factiones unquam torna.
Ora, lege, meditare,
Et bene monenti pare.
Et reuerere præceptores,
Ferto Collegarum mores.
Sectare pacem, & fac bonum,
Charitas eſt ingens donum.
Quæ facis, fac ſedulo,
Cætera commenda Deo.
Caueto ab hominibus,
Et inſeruito omnibus.
Sic feres Chriſtum decenter,
Et pſalles Deo ſapienter,
Et corona glorioſa
Erit merces copioſa.
Nec offendes Dei clerum,
Experto crede, loquor uerum.

τέλος.

Inter Montes Regis
Paſtor Dei pLebis,

Iohannes Matheſius
Rochlicenſis.

1554.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

GRatias agimus Deo æterno patri Domini nostri Ieſu Chriſti, & filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto, cuſtodi Eccleſiæ, quod hactenus clementer hanc Eccleſiam texit, & in hac ſeneſtri gubernatione mediocrem tranquillitatem tribuit. Certiſſimum eſt enim, non poſſe in tanta rabie Diaboloru̅, Eccleſias, & pios cœtus ullos manere incolumes, niſi potenter à Deo protegantur & ſeruentur. Agnoſcamus ergo & celebremus Dei beneficium, & ardentibus uotis eum precemur, ut deinceps nos gubernet & ſeruet, præſertim cum in conſpectu ſint uenientis ætatis pericula. Metuenda eſt ſiccitas rebus terra naſcentibus, & animantium uitæ perniciosa. Bellorum non rumores iam, ſed apparatus audiuntur multis in locis. Et prudentes uiros terruerunt tot templa de cœlo tacta inuſitato anni tempore, ut metuant futuram perſecutionem rectè docentium in Eccleſia. Et tale quiddam nobis minari uidetur recens congreſſus legatorum in Gallia, miſſorum à præcipuis in Europa Monarchis, Pontifice, Imperatore, Rege Romano, Rege Anglico, Rege Gallico, Republica Veneta, Imperatore Turcico, quorum ſi fuit conſenſus aliquis, certè ueriſimile eſt eos conſpiraſſe de reſtituenda Pontificia potentia, & delendis ijs, qui hactenus aduerſati ſunt pontificum conatui.

Omnino

Omnino, igitur uidetur iam Christus iterum in hortum deductus, angi metu superuenturæ crucis, & sudat in ardentissimo suo agone, nihil iuuabatur à suis discipulis, quorum illi, qui proximi erant, dormiebant, alij res alias agebant: Ita nunc destituitur ministerium defensoribus, & plerosq; inuasit ueternus tàm profundus, ut perinde ac si res sint ubiq; tranquillissimæ, suis cupiditatibus aut uoluptatibus indulgeant, nihil sollicitè de periculis Ecclesiæ, & de custodia, & propagatione synceræ doctrinæ Euangelij. Vos uero & tot prodigijs & præceptorum pijs hortatibus commonefacti Deum nobiscum, orate, ut in ira sua iustissima etiam misericordiæ suæ recordetur, mitiget pœnas, paret imbecilli ætati, & sexui, tueatur pios cœtus, in quibus reuerenter discatur & discitur doctrina ab ipso tradita, ne dissipatis fabulis, rursus existant priores tenebræ, & immanis barbaries. Clamemus cum propheta Ieremia: Corripe nos Domine, uerumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum nos redigas. Hos gemitus & hæc uota certò statuamus non fore irrita, si accedat etiam cura regendi mores ita, ne iram Dei nouis sceleribus cumulemus. Cum autem dies Calendarum Maij statutis huius Academiæ præfinitus sit, ut eo die nouus Rector cœtui discentium præficiatur, hortamur Scholasticos, ut cras hora sexta in auditorio maximo conueniant, ad renunciationem noui

noui Rectoris, ut ibi pijs uotis excipiant ac prosequantur nouum Magistratum, orantes Deum, ut fortunet ipsius gubernationem, & flectat animos discentium, ut libenter & promptè Magistratui obtemperent. Nam ut oculus uideat, & auris audiat, utrunq; est à Domino, inquit Salomon. Ita utrunq; est beneficium Dei, præesse prudentem & salutarem gubernatorem, & subditos reuerenter obedire legibus, & fræni patientes ac disciplinæ amantes esse. Pridie Calend. Maij. 1556.

HYPOTYPOSIS IVDICII DIVINI DE TEMPERAMENTO IUSTICIÆ & MISERICORDIÆ,

Autore M. Friderico Vuiedebrand.

ILla fuit facies primi tristissima lapsus,
Hæc fuit in mortem forma ruentis Adæ.
Cum uetitum carpens Paradisi germen in horto,
Esse patri similis uellet, honore Deo.
Quicquid erat cœlum, quicquid uastissima tellus,
Nil nisi tunc mœror, nil nisi luctus erat.
Tota uicem Domini rerum natura dolebat,
Cum Domini pariter mœsta dolore fuit.
Ipsa etiam fulsere minus noua sidera cœlo,
Nec sua iam tellus munera, ut antè. dabat.

Sæpe

Sæpe nouum peccades miratæ in fronde saporem,
Quis putet? hoc tristes obstupuere malo.
Obstupuere malo tantæ sancta agmina cœli,
Turba ministra hominis, turba ministra Dei.
Exulat, & latebras mœsta cum coniuge quærit,
Conscius æternæ perditionis, Adam.
Qualiter incedit socia cum turture turtur,
Aucupis exceptus carcere quando fuit.
Qui lucem fugiunt, & opaca in sede latentes,
Lugubri gemitu patria lustra uocant.
Non secus ille suum contrito pectore lapsum
Cogitat, & metuit uindicis ora Dei,
Vsq; memor patriæ ueteris, memor usq; bonorum.
Quæ possessa prius, sponte reliquit homo.
Ipse sed ante alios patrio mœrore Creator
Angitur, atq; hominem penè creasse piget.
Dum sanctam effigiem, bona qui communia secum
Fecerat, usq; adeò degenerasse uidet.
Iamq; erat, ut moto collapsus cardine mundus,
In priscum rueret, quod fuit ante, chaos.
Iamq; erat, ut Stygij Serpentis nexibus hærens,
Inferni gemeret uincula lapsus Adam.
Ecce statim Synodus consultat regia cœli.
Et longum ambigua mente retractat opus.
Quod nulli nouisse datum est, quod sola reseruant,
Arcanoq; tegunt numina sancta sinu.
Iudicio tentanda fuit discordia causæ,

An reus

An reus absolui debeat, anne mori.
O miseranda dies, o lamentabile tempus,
Res ubi iudicio concilianda fuit,
Vt sublime locant augusta in sede tribunal,
Vt cœleste parant agmina sancta forum:
Non illis luui, nec quæ modo gaudia cœlo
Angelicis numeris insonuere, sonant.
Sed socijs lacrymis sortem miserantur amici,
Turbaq; sic nollent esse ministra Dei.
Stant tristes sellæ, stat tristibus ara tapetis,
Iudicij summam totius illa refert.
Qua censenda iacent lethali saucia morsu,
Præsentem miseris poma minata necem.
Ipse sed in trino uenerandus numine Iudex
Iuridici residet solus in arce throni.
Qui patria meditans proprios in imagine uultus,
Atria dum mentis dispicit ampla suæ:
Protinus ad dextram Nati resplendet imago,
Aequa Patri facie, uiribus æqua Patri.
Quos facer unanimi coniungit flatus amore,
Qui motu uegetat cuncta creata suo.

Sic ubi plena suo stat Iudicis aula paratu,
Iratoq; tremunt omnia mœsta Deo:
Quatuor insignes diuinæ mentis Alumnæ,
Virtutes alias, quas amat ante Deus,
Protinus accedunt patrij prætoria Regis,

Eloquio

Eloquio quarum causa regatur Adæ.
Prima stat, æterni iustos acerrima Iuris.
IVSTICIAE à iusto munere nomen habens.
Omnia quæ trutinans æqua mortalia lance,
Quæ facit, hæc stricto iure seuera facit.
Quæ bona pro meritis tribuens, pro crimine pœnas,
Præmia cuiq; suo digna labore refert.
Non procul à læua uicina stat altera uirtus,
Iustitiam socia parte secuta soror.
Nescia quæ falsi, quæ non nisi conscia ueri.
Candorem sanctæ simplicitatis amat.
Consona quæ rebus, quæ consentanea uerbis
Exigit, & fraudes intemerata fugit.
Hæ socio tractant communem fœdere causam,
Vt reus æternæ mortis agatur homo.
Mœsta quibus facies, & tristi tincta rubore
Pallia fundendi sanguinis omen habent.
Astitit has contra lacrymans MISERATIO uirtus,
Quæ lenit pœnas, cum pia causa sinit.
Vtq; Dei seruetur opus sanabile, parcit,
Fulgeat ut bonitas conspicienda Dei.
Cui comes incedens æternæ PACIS Alumna,
Concordi gemitu, quod petit illa, petit,
Quæ tranquilla ferens cœlestis dona quietis,
Omnia pacifico numine tuta facit.
Sic ubi constiterant aduersis sedibus ambæ
Partes, pro causæ quæq; locata statu.

Angelicæ

Angelicæ dant signa tubæ, mœstoq; fragore
Classica iudicij sanguinolenta sonant.
Mox peccatores uinctos trahit ante tribunal
Carnificis functus partibus ipse Sathan,
Non qualem placida se fronte ostenderat ante,
Cùm blanda specie uirgo petenda fuit.
Sed fera terribili distendens guttura rictu,
Tartareum tetro sulphur ab ore uomit.
Faucibus ac totum si iam iam absorbeat orbem,
Et rabidis fractum dentibus inde terat.
Tam ferus humanum cupido sitit ore cruorem,
Tàm uelit ex uno cuncta perire die.
Solus is in luctu Sardoo iubila risu
Tollit, & in miseros plaudit ouatq; reos.
Dum modo diuino sic aduersatus honori,
Exitij comites possit habere sui.
Hæc spolia ampla refert humana ex clade Tyran-
Has scelerum causas inuidus hostis habet. (nus,
Non aliter, quam si procera mole Gigantem
Videris infantum præterijsse gregem.
Solis ubi ad radios in sicca ludat arena,
Innocuos agitans turba pusilla iocos.
Atq; ille in miseros crudelibus irruat armis,
Immerita gaudens tingere cæde manus.
Conterat ut pedibus, fixisq; impingat inermes,
Et nece nouerca patria corda necet.
Cui non utilitas, sed tantùm sæua uoluptas,

A 4 Iniustis

Iniuſtis uſum uiribus eſſe, fuit.
Sic furit in noſtrum genus implacabilis hoſtis,
Sic illi leuis eſt noſtra ruina iocus.
TVnc prior inſtituit capitali exordia cauſæ,
Quæ ſacra iuſticiæ munera uirgo facit.
Iratiſq; tremens oculis, uultuq; ſeuero
Hos accuſatrix intonat ore ſonos.
IVSTE pater, qui iuſticiam iuſtiſſimus urges,
Nec niſi quod iuſtum eſt iuſtior ipſe facis.
Exere iuſticiam, nunc exere iudicis iram,
Iuſticiam uindex exere, iuſte Deus.
Qui peccauit homo, peccatum ſanguine ſoluet,
Qui mortem meruit, morte peribit horæo.
Iuſta loquar, tu iuſta tuæ modo uocis miniſtræ,
Si quicquam iuſta ſuſcipis aure, cape,
Non ignota Deo, præſens accedo tribunal,
Et ſemel ex iſto diximus ante loco.
Cum ſimili faſtu, tumidoq; inflatus honore,
Cœlorum peteret regia ſceptra Satan.
Qui pœnam meritus, pœnam pro crimine ſoluit,
Exul in æterno qui luit igne ſcelus.
Hei mihi, ſeu iuſti damnatus numinis ira,
Hoc impune ſuum non tulit ille nefas,
Agmina Spirituum qui formoſiſſimus inter
Angelus, æternæ gloria lucis, erat:
Quid patietur homo, qua culpam ſorte piabit?
Aſpice, mancipium Dæmonis aſtat Adam.

Ille eſt

Ille eſt qui proprijs confiſus uiribus, ipſum
Rectorem exauſit, quem tulit antè, Deum.
Hic tua deſeruit, Satanæq; eſt iuſſa ſecutus,
Aequali certans conditione Dijs.
Ille ſuo nobis cœleſtia gaudia luctu
Turbat, & hoc nobis triſte faceſſit opus.
Ille ſuo totum corrupit crimine mundum,
Hic ille eſt, cum quo cuncta ruente ruunt.
Huc huc rorate, & nimbos emittite nubes.
Huc maria effuſis cuncta uenite uadis.
Surgite nunc fluuij, ripas excedite fontes,
Et ſcelus hoc tantum fluctibus eluite.
Sed nequeunt. Tàm lapſus atrox, tàm culpa cruenta (eſt,
Hei mihi, tàm tetri conſcia culpa mali.
Vt ſi tota illam ſpacioſi machina mundi
Baiulet, immenſo pondere uicta ruat.
Exere iuſticiam, nunc exere iudicis iram,
Iuſticiam uindex exere, iuſte Deus.
Hoc poſcunt leges, & legibus addita pœna,
Hæc eſt iuſticiæ regula ſtricta uæ.
Cuius ad aſpectum retrò collapſa feruntur
Omnia quæ ſub ſe maximus orbis habet.
Quid moror? Ite rei (ſat diximus) ite, perite,
Vltima, qua cœlum cernitis, hora fugit.
Dixerat & ualido curuatum pollice lignum
Monſtrat, & intenſum frangere ſæua parat.
Ter baculus crepuit, ter uirga inflexa gemebat,

Sed tamen illa Deo ſalua uolente manet.
Mox uicina parat ſociæ ſuffragia cauſæ,
Quæ uerum à uero numine nomen habet.
Immotóq; gradu contemplans uſq; tribunal,
Talia conſtanti ſæpius ore refert:
Vere DEVS, qui uera facis, quæcunq; loquaris,
Quem nunquam dicti pœnituiſſe poteſt.
Cùm prolata ſemel ſapienti è pectore uerba
Non uana ſpecie ſignificaris Adæ.
Quòd, quando uetita ueſcatur ab arbore pomis,
Lapſus in æternum ſit periturus homo:
Ritè tuum Iudex urge immutabile uerbum,
Poma comedit Adam, morte necetur Adam.
Quòd ſi dicta ſemel reuocas, ſi ambagibus uſus
Decreti facies irrita ſenſa tui.
Deſinet, ex uero quod iactas munere nomen,
Deſinet officij gloria uera mei.
Quo te ueracem mentitis ſegrego Diuis,
Quo uirtutis habes ſymbola uera meæ.
Ite rei, ſtygijs æterna incendia flammis
Plangite, ſic ueſtrum morte piate ſcelus.
Quos ego. Sed Domino damnetur iudice cauſa,
Arbitrium cauſæ quem penes omne fuit.
Dixit, & oſtendit directam congrua normam,
Quæ ſolido conſtans ex Adamante riget.
Cui neq; decidi quicquam, nihil inſuper addi
Fata ſinunt, ſimilis quæ manet uſq; ſui.

Audijt

AVdijt ut ſummo procedere iure ſorores,
Quæ ſtetit ex hominis parte miſerta ſoror:
Ore uerecundo Regis præfata fauorem,
Ante Dei faciem eſt ſupplice lapſa genu.
Ter gemuit, ter mœſta prius ſuſpiria traxit,
Quàm tulit hos blandos lingua diſerta ſonos:
MITE DEVS numen, quo pœnas numine lenis,
Qui patrio miſeris parcis amore Pater.
Non indigna quidem fateor dixiſſe ſorores,
Virtutis magna eſt laus utriusq; tibi.
Ah quid Vera negem? quid enim Iuſtiſſima culpem?
Iudice proueniunt non niſi iuſta Deo.
At memor interea noſtri quoq; nominis, illud
Iudicij partem noueris eſſe tui.
Hei mihi, ſic ne ruat miſeri pars optima mundi?
Siccine damnatus mox moriatur homo?
Non moriatur homo, propter quem cuncta creaſti,
Quicquid habet tellus, ſidera quicquid habent.
Non moriatur homo, tibi qui conformis imago
Prodijt, ad cœli gaudia factus homo.
Nouimus & qui te conatus pellere cœlo,
Ambijt imperij ſceptra ſuperba tui.
Non ego blaſphemi turpem miſerata ruinam,
Fundebam querulas tunc odioſa preces.
Tunc ubi Spirituum iunctis exercitus armis
Præcipitem cœli iecit ab arce reum.
Quos triſti gemitu circumuolitare tribunal,

Iamq; sui fratris fata dolere uides.
Et merito, quoniam non hic blasphemus in ipsum
Ore creatorem, quod fuit ille, fuit.
Simplicitas noxa est, dedit hanc inauria culpam,
Et nimiam nocuit sic habuisse fidem.
Callidus Anguis erat, sed fraudis nescia uirgo,
Nec satis uxoris cautus amator homo.
Serpenti mulier, mulieri paret Adamus,
Sic decepta simul decipit illa uirum.
Quod si iusticiæ damnabitur ordine lapsus,
Iusticiæ fiet non tamen inde satis.
Viuorum Deus es. Solus gaudebit inani
Morte ruentis Adæ mortuus ipse Satan.
Aspice, quàm miseros tractet crudeliter hostis,
Aspice, quàm nectat uincula sæua scelus.
Annue blande pater, uel ob unam hanc annue causam
Iam sat in humanum sæuiit ille genus. (sam,
Dum loquor, en lacrymis mœstissima diffluit Heua,
Carnificis uultu penè necata sui.
Vt tremit, ut querulo tundens sua pectora planctu,
Aegra uereundo despicit ore solum.
Vipereos laqueos, dum Dædala uincula cernit,
Capta quibus primùm (proh dolor) illa fuit.
Stat simul attonitus, nec uultum tollere coniunx
Audet, & offenso cernere poma Deo.
Dúm miser inassum fici præcinctus amictu,
Crimina, non ulla fronde tegenda, tegit.

Qui

Qui cuncta amisit, cui sola est uita superstes,
Vt tantis sensum præbeat ægra malis.
Da ueniam mansuete parens, ignoscito lapsis,
Saluificam miseris redde misertus opem.
Eia agè blanda tui nunc splendeat aura fauoris,
Splendeat auxilij gratia blanda tui.
Iusticiam bonitas, iram miseratio uincat,
Sat pœnæ miseris pœnituisse fuit.
Sic tibi uiuat homo, sic sic tibi redditus uni,
Perpetuo tecum tempore uiuat homo.

TAlia dum fiunt & adhuc ambagibus hærens,
Vtraq; sub dubio iudice causa manet.
Quarta stolam niueam ramumq; uirentis oliuæ
Nominis ostendens symbola uirgo sui.
Tranquilla prodit facie, frontemq; serenans
Tales pacifico mittit ab ore sonos.
O sociæ nobis uno de Patre sorores,
Mens utinam nobis nunc simul una foret.
Magna uoluntatis diuinæ portio uobis
Competit, & nobis portio magna Dei est.
Iusta Deus mens est, Verax, Bona, Pacis amica,
Hinc sanctum pariter nomen & inde trahit.
Vt tamen interea, quoniam pugnamus utrinq;,
Pars sit uirtutum neutra caduca Dei:
Me duce, nunc aliquis tandem monstrabitur heres,
Qui causæ sapiens arbiter huius erit.

Qui medium quærens, partem saluabit utranq́;,
Ne uel iusta nimis, uel minus æqua probet.
Consensere omnes, & quem monstrauerat illa,
Mox ueniunt gnatum iudicis ante Dei,
Hic ille æternus Synodi cœlestis Alumnus,
Cui secreta datum est omnia nosse Patris,
Exerit ardentes fraterno pectore ςοργὰς,
E patris hæc referens nuncia prima sinu.
IVSTVS OB iniustum preciosa morte peribit,
Hoc agite, & causæ fiet utrinq́; satis.
Vt sileant leges, ubi culpam pœna secuta est,
Nec tamen ob culpam sic moriatur homo.
Quàm sors illa fuit redimendæ dura salutis,
Supplicio Iusti quæ redimenda fuit?
Anxia Pax terras, lustrat Miseratio cœlum,
Et iusti toto nomen in orbe rogant.
Sed non inueniunt hominem sine crimine quenquam,
Iam rea posteritas cuncta futura fuit.
Angeliciq́; licet cœtus sine labe maneret
Pars melior, casti turba ministra Dei,
Quæ simul ob culpam tanti mœstißima lapsus
Consultum nobis omnibus esse uelit:
Non tamen hæc illi generis dilectio nostri est,
Vt mortem nostro nomine ferre queat.
Sic tristes redeunt, infectis rebus, utrinq́;,
Et nato referunt talia cuncta Dei.
Supplice mox illi tendentes brachia uoce,

Vltima

Vltima pro mundi uota salute ferunt.
IVSTE DEI FILI, qui solus criminis expers,
Hoc das consilium, fer simul auxilium.
Te penes auxilij modus est, & plena facultas,
Tu quæ ferre cupis, munera ferre potes.
Te Pater exaudit, quem tanto flectis amore,
Vt, quæcunq́; petas filius, ille probet.
Annuit hic etiam cœlorum regia proles,
Speratq́; ferens dona salutis, ait:
Ergo ego, qui iustus non quicquam debeo morti,
Sponte tamen moriar, ne moriatur homo.
Ecce Deus moriar, modò nostro sanguine uiuat
Irato Patri conciliatus homo.

HIc Patris unanimi pulsantes uiscera motu,
Oscula Virtutes mutua sæpe dabant.
Vt sibi concordes æquali fœdere cedant,
Parsq́; tamen maneat quælibet una Dei.
Patria iusticiam bonitas, pax blanda rigorem
Temperat, & parti est obuia quæq́; suæ,
Sic diuina iterum tibi gratia fulsit Adame,
Gratia uenturi seminis illa fuit.
Quod fera conculcans antiqui colla Draconis,
Liberet à mortis teq́; tuosq; iugo.
Ergo resignatum postquam cum lege tribunal,
Saluaq́; placato iudice causa stetit:
Communi exultat cœlestis regia plausu.

 Iamq́;

Iamq; suum rursus gaudet habere decus.
Quæ modo cuncta uicem doluerunt mœsta dolentis,
Iubila lætanti nunc quoq; læta ferunt.
Nec mora, præcipitem cœlo, uelut antè, Draconem
Spirituum Michael agmine cinctus agit.
Vna quibus uox est, quibus est uox omnibus una,
Viuit homo, ualeant Tartara, uiuit homo.

LAus tibi Christe Deus, qui nostri sponte misertus
Soluisti irato debita λύτρα patri:
Tunc ubi iusticiæ, strictiq; examine fati
Nulla dari potuit, te nisi dante, salus.
Vnde patet miseris reserati ianua cœli,
Vnde Patri gratis turba recepta sumus.
Tu quoq; pro nobis irato uota parenti
Confer, & à nostra parte misertus ades.
Quando resurgentes olim post funera cuncti
Iudicium sontes stabimus ante Dei.
Tunc etiam patriam miseratio temperet iram,
Totaq; sit merito pœna soluta tuo.
In cruce Christe tua quoniam chirographa pendent,
Hac expecto fide gaudia certa poli.
Cuncta licet pereant, ruat alto uertice cœlum,
Vita tamen nobis, te mediante, manet.

Scripta

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA IN ACADEMIA VVITEBERGENSI,

à Calendis Maij, Anni 1556. usq; ad diem Lucæ, per æstiuum semestre, quo Rector fuit clarissimus ac doctissimus Vir IACOBVS MILICHIVS Artis Medicæ Doctor.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

TOta rerum natura, ut Paulus inquit, gemit cum Ecclesia, quasi sentiens iram Dei aduersus nostra peccata. Cœlum est ferreum, nec rigat terram. Terra squalet, nec alere semina potest, Segetes siti moriuntur. Cogitemus autem, quanta sit calamitas fames communis, qualis fuit, ut non dicamus de ueteribus exemplis, recens in Italia Anno 1529. cum multa millia infantum, puerorum, senum fame mortui sunt. Quare conuertamur ad Deum, & ardentibus uotis petamus, ut Deus in ira sua iustissima recordetur misericordiæ, & pœnas leniat, ne funditus pereant Ecclesiæ. Crescunt ubiq; furores in Belgio & in Anglia multi innocentes crudeliter inter-

interficiuntur propter ueram inuocationem Dei, & irritatur ira Dei, idolis, cædibus & libidinibus. Hæc tristia spectacula intuentes, expauescamus, & ad filium Dei confugiamus. Quanquàm autem pijs, qui in prima ætate, quæ nondum polluta est atrocibus sceleribus, & habet initia fidei, gratulanda est migratio, cum ex hac uita placidè euocantur, tamen quia Deus uult esse aliquam ueram Ecclesiã, spacia uitæ longiora, & res uitæ necessarias à Deo petamus. Hæc omnia in funerum ceremonijs cogitemus. Cumq; heri extincta sit puella, Vrsula Crollin nata ex honestis parentibus, & ad ueram Dei inuocationem instituta, hortamur, ut ad funeris Ceremonias hora duodecima ante ædes Francisci Dben conueniatis, ibi singuli & Ecclesiam & sese Deo ueris gemitibus & precibus commendent. Die 6. Maij. Anno 1556.

LIII. CAPVT ESAIAE, VERSIBVS REDDITVM à Francisco Raphaele Poeta Laureato.

ECquis erit, nostris certam sermonibus unquàm
Qui putet esse fidem? cuius nam conscia tanget
Pectora diuinæ miranda potentia dextræ?
Surget ut arenti turgescens uirgula campo,
Et ueluti radix sitientibus incipit agris

E rimis

E rimis terræ pulchrum diffundere florem,
Quæ latices haustura, diu stetit arida, gratos.
Non illi species, uenerandaq; gratia formæ,
Corpore nil toto, postquàm conspeximus illum,
Quod placuisset, erat: Facies tristissima, nulli
Vnquam uisa uiro, nulli tàm corporis atra
Illuuies. Quotics pallentia sustulit ora
Vilis habebatur, populoq; abiectior omni.
Vsq; adeò noua forma uiri deterruit omnes,
Vt neq; tam fœdum nostri sufferre ualerent
Aspectum uultus, sesèq; auertere mallent,
Quàm deformatam spretamq; uidere figuram.
Hinc est, cur illum libuit contemnere nobis.
Sustulit hei nostros languores, quæq; manebant
Vulnera pro nostris delictis, pertulit ultro.
At nos ceu proprio pro crimine dira ferentem
Aq; Deo abiectum cæci contempsimus ipsum.
Sed quod nos facimus, quod nos offendimus, ipse
Soluit, & hæc illi pepererunt uulnera mortem.
Ille subit pœnas, ut læta pace fruamur,
Nostraq; uulneribus sanentur uulnera fœdis.
Non aliter, quam si pastorem totus aberrans
Grex quærat, per aquas, perq; antra sonantia syluis,
Nec tamen inueniat, quem uult: errauimus omnes,
Quisq; secutus iter quod credulus ipse probabat.
Sed Deus hunc nostri suppressit pondere morbi,
Pondere quod fuerat, nequaquam uiribus aptum

Humanis

Humanis. Deus huc totam conuerrere molem
Peccati fecit, quæ ingentia pectora pressit.
Non tamen in tanto discrimine, reddidit ullos
Anxius ore sonos, mactandus qualiter agnus
Obmutescit, & iraram nil concipit intra
Pectora: Sed tacito retinet spem corde metumq;.
Atq; ut nullius dat conscia signa doloris
Vellere diues ouis, quam priuant munere lanæ.
Nunc trucis ereptus tandem de faucibus Orci,
Redditus atq; patri, pœnas euasit, & omnes
Quas tulit ærumnas iam uictor despicit, Ecquis
Infinita noui narrabat secula regni?
Quandoquidem abscissus terra, Deus imperat astris,
Et uidet inferior quo motu machina fertur.
Propter iniqua meæ percussum crimina gentis,
Hoc tantum perferre mali sum passus, ut ipso
Sub terra iaceat uelut impia turba sepultus,
Vtq; solent Tragica subuerti morte Tyranni.
Nil equidem fecit, quod dignum morte putetur,
Nullus in ore dolus: Sed mens ut conscia recti,
Sic sine labe fuit, nulloq; infecta ueneno
Corpora, perpetuam gessit sine crimine uitam.
Paruit at Patri, statuit diuina uoluntas
In miserum totas irarum effundere habenas.
Qui quia sponte sua, caput obiectare periclis
Non dubitauit, & irarum se fluctibus offert,
Vt pro peccato sit uictima grata: Videbit.

Posteritate

Posteritate domum longa florere, per illum
Perficiet Dominus fœliciter omnia, Quicquid
Promisit, manibus tribuet Pater omnia largis.
Ecce meus multos, qui uero pectore credent
Efficiet iustos Seruus, quia iustus & ipse est,
Ergo participem regni, super astra locabo,
Et faciam referat prædam de fortibus amplam,
Quandoquidem sese mactandum præbuit ultro,
Inter & iniustos insonsq; uolensq; relatus
Peccati molem, quam nemo ferre ualebat,
Sustulit, ac moriens pro transgressore rogauit.

DE SIMONE CYRENAEO GESTANTE CRVCEM Christi, & de oppido Cyrene, quæ significat Ecclesiam, Carmen scriptum

à

ZACHARIA PRAETORIO Mansfeldensi.

IAm figenda cruci Christus sua membra trahebat
Debilis, atq; insons uerbera passus erat.
Ex alia pugno Iudæus apostata parte,
Ex alia miles peragitiebat eum.
Spinea temporibus crudeliter acta corona est,
Alternis uicibus sæua flagella tulit.
Nec sat erat, culpa sic castigare uacantem,

Vltima

Vltima decreuerant fata parare necis.
Obsequitur iussis Christus crudelibus ultro,
Atq; crucem fessus baiulat ipse suam.
Et quamuis ita lassus erat uibice cruenta,
Vix ut iam traheret debile carnis onus.
Nam fluit ante oculum tabo perfusus honestam,
Lapsabat riuo sanguinis ipse sui.
Attamen impositum portat sine murmure truncum,
Cui moxe immoriens excruciandus erat.
Nec tamen afflicto uirtus in corpore durat
Pristina, sed spacio deficit ipsa suo.
Ferre recusabant tanti uim ponderis artus,
Brachia natiua destituuntur ope.
Nec iam fulta manent æquali robore membra,
Nec possunt humeri, quod potuere prius:
Sæpe recumbit humi prono dum corpore molem
Gestat, & illum omni parte fatigat onus.
Gnate Dei, quantum nobis pacientia præstat
Hæc tua, pro nostra cuncta salute facis.
Saxa trahant gemitum, gemitum si fata dediſſent,
Accusent homines, si data uerba forent.
Mitte scelestè uirum miles, conuitia linguæ
Rumpe tuæ, neſcis quæ tibi fata pares.
Pone truces animos, ferrumq; haud iure in hostem,
Tractandus tali non erat iste modo.
Est Deus innocuus, totiq; salutifer orbi
Venit, & haud meritus crimine fata luit.

Sera

Sera tamen crudas tangit miseratio mentes,
Exhaustum quando uiribus esse uident.
Fortè senex aderat Simon cui patria tellus
Cyrene, Pharijs urbs benè nota plagis.
Ducitur is fessi ut subeat uestigia Christi,
Et comitans illum robora dura gerat.
Nec mora, iussa facit, quamuis non sponte laborem
Suscipit, & uulgi scommata multa timet.
Vincit amor Christi, uincit miseratio sortis
Humanæ, cuius fata timenda putat.
Baiulat ergo crucem pronus, dum uenit eundo
Golgatha, supplicijs quem statuere locum.
Tota crucem Christi sic fert Ecclesia, nam nos
Cum Christo passos gloria certa manet.
Nos quoq; censeri patientis imagine Christi,
Et simili fato plurima ferre decet.
Cur capiti fieri conformia membra negarent?
Cur sortem nollet miles obire ducis?
Sed cum magna cohors, cum tanta frequentia plebis
Compleret totas, confluа turba, uias:
Cur Cyrenæum manibus Simona prehendunt,
Baiulet ut rigidæ pondera uasta crucis?
Cur non hoc aliquis facit ex Oriente profectus,
Hesperiumue secans Italiota fretum?
Nunquid inest omen uel significatio facto,
Aut hæc fortuito sic cecidisse putas?
Non ita, sed dulcis latet his in rebus imago,

Bb Quæ

Quæ sanas mentes crudiisse potest.
Quid quæris? fontis Cyrene denotat urbem,
Hebræo nanq; est dictio facta sono.
Ipsa uiris opibusq; potens iacet Africa propter
Aequora, & in Pharium pertinet usq; solum.
Non procul inde tumet sinuosis Syrtibus æquor,
Pontigradas solitis præcipitare rates.
Quid notat urbs fontis? regnum insuperabile Christi
Aeternumq; refert agmina fassa Deum.
1 Fons diuina notat sacræ præconia uocis,
Quæ fluit in regno maxime Christe tuo.
Nam sonat æternum tua uox dulcissima nobis,
Irrigat atq; animos more fluentis aquæ.
2 Fons quoq; baptismi uitalia flumina signat,
Quæ nos emundant uera lauacra reos.
His renouatur homo, natura filius iræ,
Cum noua uiuificis membra lauantur aquis.
Hoc adeò peccata hominum sunt mersa profundo,
Hæc nostras sordes turpis abyssus habet.
3 Dehinc & saluificum Christi de sanguine rorem
Fons notat, immundas eluit ille notas.
Ecce crucis ualido pendens à stipite Christus,
Profusus roseo membra cruore gemit.
Antè quoq; expressit guttas sudore cruentas,
Cum luctans tristi pressus agone fuit.
Has tibi sustinuit resoluto corpore guttas,
Illo tu lotus sanguine uiuis homo.

Abripit

Abripit hic sordes cruor, ut cum feruidus alto
Aestus in Oceano proxima quæq; rapit.
Nam si nostra uelut coccus peccata rubebunt,
Arctoa fient candidiora niue,
4 Deniq; fons numen sacri designat amoris,
Læticiam gnati læticiamq; patris.
Spiritus hic dictus sacris à uatibus olim
Fons uiuus, uitæ munera certa tenet.
Atq; animos renouat, quibus est fiducia Christi,
Vt sanctos motus cordis in arce gerant.
Denuo sic igitur perfusus ab æthere, sacro
Flamine, ceu riuo purificatur homo.
HVIC urbi fontis, cui munera tanta supernè
Sunt data, se iungant associentq; pij.
Et ciuem cœtu se profiteatur in illo
Quilibet, unde salus non aliunde uenit.
Tales uos estis stirps ô Mansfeldica, quorum
Insigne est titulis & pietate genus.
Vestra etiam maior uirtus ætate relucet,
Bruno atq; Ernesto iuncte Philippe tuo.
Auditis sacra nanq; Dei & cognoscitis ipsi
Dogmata, quæ disci præcipit ipse Deus.
Pergite, uos moueat uestras habitata per oras
Cyrene, titulis addita Bruno tuis.
Cyrene, si uera putas, BORNSTADIA dicta
Sic modò Teutonico dictio uersa sono.
Non hoc fortuitum est, mihi credite, nomine tali

 Quod

Quod iacet in uestris arx celebrata iugis,
Illustris uiguit nempe his Ecclesia terris,
Et nunc illustris numine Christe tuo est.
Hic locus est, quo uera Dei celebratio cœpit.
Doctorem primum nam Deus inde dedit.
Nunc quoq; Sarcerium, Reuberum, Menceliumq;
Luciferum, Rhodium & te Theobalde fouet.
His alios adde Spangbergum, te quoq; Cœli,
Seidelium, Crausum & te Leonharde simul.
Innumerosq; alios fœlix Mansfeldia nutrit,
Doctrina magnos & pietate uiros.
CHRISTE Dei fili, summi patris unica proles,
Indignæ fixus membra sacrata cruci.
O ades ærumnas nobis tolerantibus, atq;
Sustenta cœtum fortiter ipse tuum.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

EXemplumq; Dei quisq; est in imagine parua. Vult Deus ordinem in natura conditum de opifice testimonium esse, uult se agnosci ab hominibus, ut communicare sese nobis possit. Sed maximè illustria testimonia de Deo sunt in ipso homine, lucent noticiæ legum in mentibus, & has dolor conscientiæ uindex comitatur, ut sciamus & esse Deum, & qualis sit, & quòd sit Iudex. Sunt & στοργαὶ dulcissimæ

dulcißimæ insitæ ab ipso, quibus ducimur ad conseruationem nostri, & nostrorum, & ad consociationem, quæ sunt commonefactiones de amore in Deo erga filium, & erga nos. Hæc opera Dei in nobis agnoscamus, ut monstrent conditorem, & singulis de nostris parentibus & nostra ingratitudine cogitemus. Quantus est labor nutritionis? Quanti dolores matrum, cum ægrotant pueri? Inde στοργὴν & amorem in materno pectore æstimato, teq; interroges, an uicißim amore & officijs compenses amorem in parentibus & in Deo. Hic cum necesse sit fateri, nos non reddere parem amorem, doleamus tantam in nobis duriciem esse. Sed tamen improbemus illam insulsam sapientiam, quæ iubet ex hominum pectoribus tolli pios adfectus, ac potius precemur filium Dei, ut nos sua luce gubernet, & Spiritu sancto accendat in pectoribus nostris adfectus, quos adprobat lex diuina, sicut scriptum est: Dabo legem meam in corda eorum. Adficiamur dolore propter publicas calamitates, & mitigari eas petamus, doleamus etiam in luctu honestorum hominum, & precemur Deum, ut pias familias seruet. Talem esse familiam uiri nobilis, iusticia, scientia rei militaris, & fortitudine præstantis, Vuolffgangi Dyssteteri Capitanei, uidemus. Quia ipse & honestißima matrona, eius coniunx, & filia, rectè inuocant Deum, castè uiuunt, & erga Ecclesiam, Scholasticos, &

pauperes sunt officiosi. Et ipse in gubernatione iustus & moderatus est. Ac nunc quoq; quanquàm in magno mœrore sunt, tamen se hac consolatione diuinitus tradita sustentant, quæ dicit: Non est uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis istis. Item, Talium est regnum cœlorum. Sperant in Ecclesia cœlesti uos se uarijssimum filiolum complexuros esse. Hortamur autem Scholasticos, ut hodie hora duodecima ad funeris cæremonias ante arcem modestè & piè conueniant, & ibi singuli Ecclesiam & sese Deo ueris gemitibus & precibus commendent. Die 7. Maij, Anno 1556.

DE EXILIO CHRISTI IN AEGYPTVM MATTH. II.

QVandò Palæstina Christus de uirgine natus
Infans Niliacam iussus adiret humum,
Per loca sæuorum proficisci plena latronum
Octidui longum cogitur exul iter.
Tutus ab insidijs grassantis nempe Tyranni,
In minus hostili posset ut esse loco,
Casta recens natum genitrix comitante marito
Per medios hostes, diraq; castra uehit.
Ne tamen exulibus posset uis ulla nocere,
Texit eos patria pro bonitate Deus.

Angeli

Angelicosq; uiæ comites his iussit adesse
Cum puero quibus est cinctus uterq; parens.
Sic fuit in uarijs Ecclesia sancta periclis,
Donec & hæc mundi machina stabit, erit.
Vt tamen infantis texit cunabula Christi
Ipse Dei gnatus duxq; comesq; uiæ:
Sic tegit usq; suos per tot discrimina cœtus,
Dogmata quos uoluit pura sonare Deus.
Exul in hoc mundo sed cur tot ubiq; labores
Aerumnasq; tulit filius ipse Dei?
Duceret ut patriæ nos ad cœlestis honorem,
Ad cœli faciens regna patere uiam.
Vnde genus nostrum Satanæ fraus dira fugauit,
Exilijs actos à patrio orbe procul.
Donec in hac igitur lacrymarum ualle uagamur,
Subdita sint uni pectora nostra Deo.
Restat enim longè melioris functio uitæ,
Gaudia quæ patriæ plena prioris habet.

Iohannes Langerus
Coburgensis.

ELEGIA DE STAPHYLO.

Α σκφυλὴ σκφὶς ἐσαι, καὶ ῥόδον ἄνορ ὀλέσαι.

Et rosa mane uiget, marcida nocte cadet.
Vidi ego ceu lauri germen florere malignum,

Præteriens paruo tempore quæro, fuit.
Sic etsi celebri florere uideris in aula
O Staphyle, & Cynici dogmata falsa seris,
Diraq; nunc sanctis Christi minitaris alumnis,
Et furijs imples corda aliena tuis:
Inde tamen uictus diuina uoce iacebis,
Crudeles obitus impius omnis habet.
Ignea marcentem te numinis obruet ira,
Vt perit à Solis uicta calore rosa.
An non à magno qui nomen habebat Iulo
Floruit, & læsit uiq;, doliq; pios?
Floruit, & causa tandem deuictus & armis
Dum iacet, & sparsus uulnere sanguis abit.
Vicisti Galilæe refert, simul iuit ad Orcum
Vmbra gemens, pœnas & sine fine luit.
Ille domum bello rediturus funera uouit,
Sed perit, ex bello nec redit ille domum.
Qui diant aliter, ueri quàm conscia mens est,
Accersunt furias in sua fata graues.
Sic crepuit ligno dum rumpitur ilia Iudas,
Pœna uenit grauior, quo mage sera uenit.
Aspice mugitu Latomum sub morte fatentem,
Se quoq; iustorum sanguinis esse reum.
Tu quoq; qui flores, fato marcebis acerbo,
Successum impietas nescit habere diu.
Sed nos Christe doce uiresq; uocantibus adde,
Floreat æterno nomen honore tuum.

Petitio

PETITIO ELEEMOSYNAE.

APud Haggæum inquit Deus, se daturum esse fruges copiosius, si instaurationem templi populus adiuuet. Id cogitemus & nunc, cum sterilitas timetur, simus officiosi in iuuandis præsertim Nosocomiorum instaurationibus. In uicino oppido Zan in bello templum & pars oppidi conflagrauit. Nunc instaurato templo rursus & Nosocomium ædificatur, quod scitis esse pium & necessarium opus. Hortamur igitur eos, qui conferre Eleemosynam possunt, ut aliquid ad eam ædificationem conferant, simul etiam precemur, ut Deus det messem mediocrem, & salutarem gubernationem Ecclesiæ & Politiæ. Datæ die 10. Maij, Anno 1556.

Philippus Melanthon.

IN ENARRATIONEM COMMENTARIORUM Iulij Cæsaris.

MVltæ & magnæ causæ sunt, propter quas Deus omnibus hominibus uult notam esse seriem temporum, & præcipuarum mutationum in genere humano, & ordinem imperiorum,

quia necesse est scire, quando, & quibus testimonijs se Deus patefecerit, qua sit prima doctrina, quod fuerit mundi initium, quandò uenturum sit vltimum iudicium, quomodo Deus in tantis confusionibus humani generis seruet & gubernet Ecclesiam. Præter has necessarias causas sunt & aliæ, propter quas valdè utile est scire historias. Ibi manifesta testimonia cernuntur prouidentiæ & iudicij diuini, iuxta regulam: Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ in hac uita. Vult enim Deus etiam in politica iustitia & conseruatione humanæ societatis suam præsentiam conspici, uult homines iustis officijs communem societatem tueri, nec facere infinitas dissipationes. Est & hoc dignum consideratione, quod Deus mirabiliter seruauit omnium mundi temporum continuam historiam. Libri Prophetici continent tria millia annorum, & quadringentos annos, inde usq; à mundi initio ad Cyri regnum. Postea Herodotus, Thucydides, Xenophon narrant res Persicas & Græcas. Deinde Alexandri & successorum & Romanorum historiæ multos Scriptores habuerunt. Hæc series Monarchiarum semper in conspectu sit, & illustria exempla iudicij diuini cogitentur. Sed in his Scholasticis exercitijs proponuntur Historici, non solum rerum causa, sed etiam propter linguas. Nec inter latinos Scriptores quisquam rectius loquitur Iulio Cæsare, qui natus in familia nobilissima, quæ patriæ linguæ puritatem

ritatem retinuerat, etiam optima doctrina exaltus fuit. Et delectatum esse propria & non peregrina forma orationis, non solum scripta eius ostendunt, sed etiam hæc diligentia, quod in tantis occupationibus librum scripsit de Analogia & recta orationis forma, in qua inquit, inusitata uerba, tanquam scopulos fugienda esse. Itaq; propter sermonis elegantiam scripta eius sæpe mutandaq; legenda sunt. Res etiam magnas continet, & nobis Germanis maximè cognoscendas. Vetustas uno nomine Celtas nuncupauit Galliæ & Teutonum populos, ut Herodotus inquit, Istrum in Celtis oriri, de quo tamen Aristoteles propriora scripsit, Istrũ in Hercinijs montibus oriri. Deinde Marij tempore Gallorum & Teutonum discrimen cognitum est. Sed Cæsar Germanorum nomen celebrauit, & eos à Gallis distinxit. Nec tantum eò iucunda est Cæsaris narratio, quòd patriæ limites monstrat, sed multò magis, quòd maiorum nostrorum iusticiam & fortitudinem eximijs laudibus ornat. Etsi uirtus nunc languidior est, tamen bonæ mentes non possunt non delectari & pulchritudine uirtutis, & laude parentum.

Quis nostrum tàm ferus est, qui non lætetur honesta cõmemoratione de parentibus, ex quibus natus est? Quàm honorificum est autem habere nostros maiores & testem & præconem non Homerum, non Pindarũ, sed ducem tantũ, qui & res maximas gessit armatus, & victor imperium orbis terrarum legibus sapien-

ſapientiſſimè conſtituit. Legantur ergo etiam res Germaniæ in eius ſcriptis, propter amorem patriæ & parentum. Aliquos etiam cogitatio de parentum uirtute monere poteſt, ut magis ament & patriam & uirtutem. Die 10. Maij, Anno 1556.

Henricus Paxmanus Burguuerenſis.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

ET doctrina de æterno Patre, filio Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto quotidie cogitanda eſt, & quotidie mens ad ueram inuocationem Dei excuſcitanda eſt. Sed tamen hæc maiore intentione animi facienda ſunt in publicis Eccleſiæ congreſſibus. Ac nunc præcipuè proponitur doctrina de Spiritu ſancto, de qua ſeriò cogitemus, quid ſit Spiritus ſanctus, per quem mittatur, ad quæ beneficia mittatur, quibus & quomodo detur, quomodo retineatur, quomodo exuatur. Intueamur horribilia exempla furorum in magna parte generis humani, cædes, furta, libidines, defenſiones idolorum, portenta opinionum, tetra errata conſiliorum, & agnoſcamus infirmitatem noſtram, & fateamur id, quod fatetur Ieremias: Scio Domine, quod non eſt hominis uia eius, id eſt, humana ſapientia & humanis uiribus non poſſumus uitam regere, ſed opus eſt

eſt auxilio Dei. Contrà Aiax apud Sophoclem ait, ſe uel ſine Deo uictorem fore. Et Apryes apud Herodotum inquit, Regnum ſibi ne quidem à Deo eripi poſſe. Ac dedit uterq; horrendas pœnas impiæ arrogantiæ. Leguntur autem & fiunt ſimilia omnibus temporibus. Ruunt homines quà cæcæ cupiditates trahunt, & quà Diaboli impellunt. Aduerſus hæc tanta mala æternus Pater miſertus generis humani propter deprecatorem filium miſit redemptorem, & uoce Euangelij colligit æternam Eccleſiam, & filius luce Euangelij oſtendit Patrem, & dato Spiritu ſancto, motus accendit in cordibus ſalutares, reprimit errantes flammas cupiditatum, & depellit Diabolos. Sic enim inquit: Effundam ſuper domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Cum corda in ueris doloribus conſolationem ſentiunt, Spiritus ſanctus teſtificatur nos in gratia eſſe, & ſimul flectit corda, ut à Deo ſe regi petant, cum uideant homines non ſatis munitos eſſe poſſe propria uigilantia, & proprijs uiribus & armis, & hoc tantum bonum ſeueriſſimè præcipit filius Dei peti, & inquit, patrem cupidiſſimè largiri. Quantò magis, inquit, Pater ueſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? Non igitur ſimus ſimiles Aiacis, non arrogantium Pelagianorum, qui adeò tument fiducia ſui, ut non expetant rectorem Spiritum ſanctum, ſed cogitemus & infirmitatem noſtram, & promiſſiones diuinas, & mandata

data de petendo auxilio, & aßiduis gemitibus & uotis petamus, ut regat nos filius Dei luce Euangelij, & ut Spiritus sanctus in cordibus nostris accendat flammas ueræ inuocationis Dei, & motuum Deo placentium, & flectat corda ad salutaria consilia, & faciat nos uasa misericordiæ, & organa profutura Ecclesiæ. Tales precationes, qui non sæpe repetunt expressis uerbis, hi nec de tantis rebus cogitant, nec cura tantarum rerum adsiciuntur. Quare & lectione & cogitatione sæpe repetatur hæc doctrina, & misceantur uerba precationum, & exuscitentur corda ad ardentiorem petitionem & gratiarum actionem. Vt autem ostendamus significationem gratitudinis erga ministros Euangelij, cras singuli ad Aram afferant usitata munera. In Pentecoste Anni 1556. à prima Pentecoste, Anno 3065.

DECANVS COLLEGII THEOLOGICI IOHANNES Bugenhagen Theologiæ Doctor, Pastor Ecclesiæ Dei in oppido Vuitteberga.

LEgimus in ueteribus monumentis Ecclesiæ Hamburgensis, in ea urbe collocatam esse à Carolo Magno sedem Episcopi, quæ postea

stea Bremam translata est, & modestißime inquit Carolus, se non uoluisse Saxonicam gentem sibi, sed Deo seruire. Postquàm igitur à Deo uictoria donatus sit, se nihil petere, nisi ut uerum Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum ea gens agnoscat: & misit Hamburgam uirum doctum, & habentem illustria testimonia pietatis Angisum. Is & ibi, & in uicinia sparsit Euangelij semina. Et multa signa ostendunt, tunc fontes doctrinæ Christi adhuc fuisse puriores, quam postea fuerunt, cum creuit Pontificia Tyrannis, & nati sunt Monachi siue ex superstitione, siue ex Sphinge, id est, Sophistica. Idem Angisus postea cum pijs & doctis comitibus, Euangelij uoce Danos ad ueri Dei inuocationem flexit. Postea secuta est ætas, quæ plus caliginis habuit, cum Pontificum & Monachorum imposturæ confirmarunt idola & errores. Sed Dei beneficio in regno Danico, & in patria mea dulcißima Pomerania, & in urbibus Lubeca, Hamburga & Brunsuiga, uoce mei ministerij doctrinæ puritas restituta est, Pro quo immenso beneficio Deo gratias ago, & cum toto pectore oro, ut semper in his regionibus omnibus, filio suo domino nostro Iesu Christo æternã hæreditatẽ colligat. Gratulamur autẽ inclytæ urbi Hamburgæ hoc ingens bonum, quod et ante tot secula inuocauit filium Dei, et nunc habet Euangelij lucem sine corruptelis. Rectè autem facit Ecclesia Hambur-

Hamburgenſis, quod piam coniunctionem cum cæteris Eccleſijs harum regionum tueri ſtudet. Quam ob cauſam cum huc miſerit reuerendum uirum Magiſtrum Paulum de Eitzen, Superattendentem Eccleſiarum in ea urbe, ut nobiſcum & cum aliarum urbium doctis uiris colloquens oſtenderet conſenſum ſuum: Proximo die Maij 27. quod fauſtum & fœlix ſit, publicum ei teſtimonium tribuemus. Ad id, ut conueniant huius Academiæ lectores & auditores, petimus, non ſolum, ut teſtes ſint noſtri iudicij, ut decet, ſed etiam in nobiſcum ueris gemitibus & uotis orent filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, caput Eccleſiæ, omnia in omnibus perficiens, ut nos omnes gubernet, & ſemper protegat harum regionum Eccleſias, & earum hoſpitia, quia ueriſſimum eſt, non humanis conſilijs & præſidijs, ſed diuinitus ſeruari Eccleſiam, ſicut in Arca Nohæ, in mari rubro, in deſerto ſeruata eſt. Teneamus autem hanc ueram conſolationem, in qua dicit filius Dei: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Te fili Dei Domine Ieſu Chriſte, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, aſtos Eccleſiæ, oramus, ut nos regas & protegas. Die 25. Maij Anno 1556.

DECA-

DECANVS COLLEGII DOCTORVM ARTIS Medicæ Melchior Fendius D.

CVncta Deus replens molem ſe ſudit in omnem, Inquit Vidas, de præſentia Dei uniuerſali in conſeruatione omnium rerum, quas condidit, qui quidem ſic res et condidit & conſeruat, ut ſimul ueſtigia ſua impreſſerit uniuerſo opificio, ut neceſſe ſit fateri, non æſu ex Democriti atomis confluxiſſe mundum, ſed à mente æterna architectatrice pulcherrimo ordine diſtincta eſſe mundi corpora, formatum hominem, inſitas notitias, addita uitæ præſidia, nutrimenta & remedia. Ita uniuerſa natura rerum teſtatur eſſe Deum, & terribiliter conuincit & damnat omnes, qui aut negant eſſe Deum & prouidentiam, aut ſpreto iudicio Dei, leges uiolant, & cœlo bellum inferunt. Vult igitur aſpici naturæ ordinem, uult agnoſci ueſtigia ſua, & cerni teſtimonia de ſe, ſparſa in hoc pulcherrimum mundi theatrum undiq; Deinde uult præſidia uitæ cognoſci, & eligi ad quotidianum uſum. Cum igitur certiſſimum ſit, hanc eſſe uoluntatem Dei, & doctrinæ Medicorum oſtendat naturæ ordinem, & rerum naſcentium uſum, hanc conſiderationem & doctrinam contemnere, non ſolum barbaria eſt indigna homine, ſed etiam aduerſus Deum impietas. Grata de

Deo fama in artibus sparsa est, inquit Plato. Quare cum artium fontes & usus nostris Scholasticis monstrentur, non dubitamus eos gratis mentibus agnoscere, doctrinas esse Dei dona, testimonia de Deo, & uitæ præsidia, & eas amare et uenerari. Vt igitur hoc iudicium & uoluntatem suam declarent de arte Medica, cuius beneficijs quotidie multi utuntur, conueniant die Iouis proximo ad renunciationem, in qua decernetur gradus Doctorum artis Medicæ, clariß. uiro eruditione & uirtute præstanti Magistro Francisco Rodeuualt, nato in Inclyta urbe Brunsuiga, cuius industriam, fidem, adsiduitatem, & bonos mores approbat honestißimus Senatus inclytæ urbis Hamburgæ, ut ei præcipuam ciuium aurationem commendarit. Habet igitur Franciscus honorificum testimonium industriæ & uirtutis. Nos etiam eruditionis testimonium ei tribuemus. Precamur autem Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem uniuersæ naturæ, ut & doctrinas conseruet, & regat fidelium Medicorum consilia & dextras. Certißimum est enim, & remedia esse Dei opera, & medendi artem diuinitus monstratam esse, & ita esse fœlicem mediationem, cum Deus adiuuat naturam & Medici manum. Ideò dictum est: Honora Medicum, quia propter necessitatem Deus eum condidit. Non humana diligentia inuenta est ars, sed diuinitus monstrata est, & monstrata est ideò, ut opituletur nostræ necessitati. Non est igitur inutilis labor, sed sæpe depellit graues morbos, etiamsi in hac naturæ imbecillitate multæ sunt causæ mortis. Interea uult tamen Deus nos uti uitæ præsidijs, & confirmat, se ea condidisse nostræ necessitatis causa, quem precamur, ut multis bonis ingenijs longa uitæ spatia concedat, ut sit Ecclesia cœtus honestus ipsum celebrans. Die 25. Maij. Anno 1556.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NOn dubium est Senonas honestißimam gentem ueteris Germaniæ, tenuisse ea loca, quæ nunc nomen habent ueteris Marchiæ. Fuitq; eius gentis tanta iustitia & integritas, ut Strabo dicat, Senones dici, tanquam σέμνους ἀπὸ σεμνῶς, quod modestiam & pudicitiam complectitur, & origo est à σέβας. Est autem urbs in ueteri Marchia Schefen, quam nos quidem libenter interpretamur Senonum domum. Etsi autem nihil adfeueramus de his Etymologijs: tamen laus est magna maiorum nostrorum, quod exteri homines adeò probarunt eorum integritatem. Atq; utinam nostri mores ueterum honesta exempla referrent. Sed est hodie ibi Ecclesia bene constituta, & sunt ibi multi honesti & eruditi uiri, & ciues studijs fauentes. Eius urbis

Consul est Ioachimus Quadfasel uir honestus et eruditus, cuius filius ex hac schola in Ecclesiam cœlestem beri euocatus est. Decessit autem in confessione pia & inuocatione filij Dei Domini nostri Iesu Christi, cui & sese & patrem & patriam commendauit. Hortamur igitur, ut ad funeris ceremonias hodie hora duodecima è regione reuerendi uiri domini Doctoris Forsteri conueniatis, & ibi uera precatione suam uitam singuli & Ecclesiam, & has regiones Deo commendent. Videmus uarios morbos uagari, & metuenda sunt bella, fames, & confusiones opinionum. Quare simus ardentiores in precando, sicut filius Dei inquit: Orate, ut possitis effugere uentura mala. Pridie Calend. Iulij, Anno 1556.

AD IMAGINEM ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC domini Domini Georgij Principis in Anhalt & Ascania.

Ascaniæ stirpis uirtus est clara triumphis,
Ordine quos numerant sæcula longa patrum,
Cæsar in Adriaco cum gessit littore bellum,
Et fregit Venetas Maximilianus opes:
Dux erat Ascania natus de stirpe Rudolphus,
Fixit & in Veneto multa Trophæa solo.

Nunc

Nunc ad maiorum decora, hæc laus magna Georgi
Accedit uere Principe digna uiro.
Quod sic doctrinam reliquis uirtutibus addis,
Vt uerum celebres pectore & ore Deum.
Et Christi illustres ingentia munera scriptis,
Iustificæ supplex quæ capis ipse fide,
Exemploq; Esdræ populum dum iure gubernas,
Doctrinæ spargis semina pura simul.
Summe Deus solus qui das fœlicia regna,
Ascanios fratres, te precor, ipse regas.

IN PRAELECTIONEM ORATIONIS CICERONIS pro Marco Cælio.

HOdie Deo iuuante inchoabo enarrationem orationis, quam Cicero eloquentissimus Orator dixit pro M. Cælio, cuius lectionem studiosis profuturam iudico, non solum ad eloquentiam, sed etiam ad studium uirtutis, ad mores formandos, & uitam rectè instituendam. Vt enim Philosophorum, ita non minus Oratorum scripta ad uirtutis doctrinam pertinent, qui cum scelerum turpitudinem, & uirtutis decus oratione exaggerant, profecto tanquàm fulmina in sceleratos torquent, & bonos ad uirtutis & rerum honestarum amorem accendunt. In hac uerò oratione magna sententia-

arum & locorum communium uarietas & copia est, quæ cum elegantissimo orationis genere explicentur, non dubium est, quin & consideratio rerum sapientissime cogitatarum uitæ moribusq; profutura sit, & ipsa orationis forma prosit ad rectè dicendi rationem. Nam in eloquentiæ studijs sine exemplo & imitatione nemo fœliciter uersari potest. Hortor *autem Studiosos, ut hanc orationem attentè audiant, & dicendi genus imitari studeant.*

Antonius Vualterus.

DECANVS COLLEGII IVRECONSVLTORVM

Iohannes Schneideuuein Iuris utriusq; Doctor.

ETsi multa *signa magnas imperiorum mutationes & tristia bellorum incendia prænunciant, quæ haud dubie politici status turbationem afferent, & legum autoritatem & uim oppriment, aut imminuent saltem, ut studij legum nullus usus aut perexiguus futurus esse uideatur: Tamen nos, qui in Ecclesia uiuimus, & diuinas promissiones reuerenter audimus, & fide amplectimur, certo statuamus, Deum, qui promisit se in genere humano semper collecturum uoce Euangelij Ecclesiam, eamq; ad finem mundi usq; seruaturum esse, sicut inquit Christus:*

Christus: Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi: etiam politias aliquas defensurum esse, quæ hospitium præbeant Ecclesiæ, & non permissurum, ut honestæ leges, iudicia, disciplina, iura connubiorum, & alia præsidia huius uitæ, funditus deleantur ubiq;. Cum autem illarum rerum possessio retineri non possit sine cognitione scripti iuris, haud dubiè Deus etiam hæc studia Iuris tuebitur, & locum alicubi dabit tutum & honestum ijs, qui hac doctrina legum instructi sunt, eamq; conferre ad gloriam Dei & utilitatem generis humani decreuerunt. Hac spe colamus & urgeamus studium Iuris, & non dubitemus, hunc nostrum conatum conseruandi res immensa bonitate à Deo donatas, uidelicet, consociationem ciuium, iudicia, disciplinam publicam, æqualitatem in contractibus, et alia uincula humanæ societatis, Deo gratum & nequaquam irritum fore. Cum autem prosit ad tantarum rerum custodiam adhiberi non quoslibet imperitos, sed diuersatos in scholis, & in frequentia peritorum Iuris, & confirmatos solida eruditione, optimo consilio gradus instituti sunt, in quibus exploratio fieret de doctrina eorum, qui ad gubernationem Reipublicæ accessuri sunt. Vixit autem in hac Academia annos amplius quindecim cum laude integritatis, modestiæ, & in omni officio diligentiæ, uir honestus Iohannes Reinerus Oldenburgensis gener

ſanctiſ & integerrimi uiri Pauli Knod, *cuius induſtria, fides, & diligentia Eccleſijs harum regionum diu magno adiumento fuit. Ipſe uerò* Paulus *& propter ſingularem pietatem & ſanctitatem uitæ reuerendo Doctori* Martino Luthero, *& cæteris omnibus huius Academiæ profeſſoribus cariſſimus fuit. Huius* Pauli *gener cum uocatus ſit ad partem gubernationis à piiſſima uidua generoſi & nobiliſſimi Domini* Canonis Comitis Orientalis Friſiæ, *iuſſus eſt Collegij noſtri teſtimonium de ſuo profectu in ſtudio Iuris ſecum illuc adferre. Quare cum ſciamus & eruditionem huius* Iohannis *egregiam, & mores honeſtiſſimos eſſe, de Collegij noſtri ſententia eras, Deo iuuante, conferemus ei publicè inſignia Doctorum in utroq; Iure, ad quam renunciationem publici teſtimonij, ut conueniant omnium profeſſionum Doctores, Magiſtri, & Scholaſtici, reuerenter & amanter petimus, & hoc officio declarent ſuam reuerentiam & amorem erga leges & diſciplinam, quarum rerum maximarum auſtos eſt hæc profeſſio noſtra. Simul etiam præſtent hanc beneuolentiam optimo uiro, qui Collegij noſtri teſtimonio ornabitur, ut eius honori faueant, qui ita hic uixit, ut bonorum uirorum ſtudijs & amore dignus ſit. Poſtremo cum tanta periala impendeant, in his congreſſibus coniungamus uota noſtra, & oremus Deum, ut legum & diſciplinæ auſtodiam ipſe adiuuet, & Eccleſijs*

eleſijs & Scholis tranquillitatem concedat, & reprimat Turcicam rabiem, quæ uaſtitatem politici ordinis, legum, & diſciplinæ uniuerſe afferre conatur, & barbarica tyrannide uictas gentes crudeliter premit & affligit. Die 3. Iunij, Anno 1556.

CONCIO LEPORVM

AD LEONES, CVIVS MEMINIT Ariſtoteles tertio Politicorum, Allegorico carmine expoſita à Friderico Vueydebrando.

Conuentum brutis indixerat omnibus olim,
Qui tulit Imperij regia ſceptra, Leo.
Quòd uarius dederat iam beſtia ſæpe querelas,
Hæc læſa iniuſtis uiribus, illa dolis.
Hic ubi cuiq; ſuæ ſententia prodita cauſæ,
Auribus attenti cognita Regis erat,
Surgunt & Lepores, trepido quibus ore loquutis
Hoc fuit infœlix concio lata modo:
Fœlices populos, quibus omnibus æqua poteſtas,
Communisq; pari ſorte feratur honor.
Ne premat imbellem, quo quisq; potentior armis
Polleat, & uires legibus ante ferat.
Quos contra irato ſurgens Leo regius ore,
Reddidit orantum talia uerba choro:

Sana quidem, at lepores ſine dentibus eſſe locutos,
Nec ſapuiſſe ungues Rhetoris huius opus.
Cumq; æquare uelint regali ſorte Leones,
Purpuream leporum terga decere togam.
Dixit, & ad nutum mox agmina ſæua Leonum
Mandat in umbelles unguibus ire feras.
Quas rapiunt, rapiasq; necant, manduntq; necatas,
Exitus inæuti Rhetoris ille fuit.

VSq; adeò ſtolidus labor eſt, ſi propria tentes
Inter inæquales dicere iura uiros.
Ipſe quibus cedis uirtute & uiribus impar,
Quos tibi nec ſimili iunxit honore genus.
Scilicet his iuſtum eſt, quod libera caiq; uoluntas
Iuſſerat, alterius neſcia ferre iugum.
Hi ſibi ſunt leges, his ipſa potentia lex eſt,
Quæ ſibi pro lubito cuncta licere putant.
Hi proprijs figunt leges, fixasq; refigunt,
Quoq; placet, flectunt cerea iura modo.
Hinc ea prolata eſt Antiſthenis ore querela,
Cuius Ariſtoteles talia uerba refert:
Cuncta uelut tenent Leporum ſub lege Leones,
Sic etiam magnis iura minora premi.
Is uelut ad flammas accedere ſuaſit ad aulam,
Quæ nunquam pateat legibus æqua bonis.
Aſpice Prexaſpen taxantem crimina Regis,
Quod nimis ad Bacchi pocula pronus erat,

Quàm

Quam crudele data precium pro lege recepit?
Quanti res odij libera lingua fuit?
Ebrius ut natum Cambyſes cernit amici,
Veſtibulum ſtantem non prærat ante domus:
Huic agè Prexaſpes, iſto, quem tendimus, arcu,
Vera ne iam dicas uerba, probemus, ait.
Rex niſi cor pueri transfixerit, ebrius eſto,
Sin transfiget idem, ſobrius, inquit, erit.
Protinus infantem teli transuerberat ictu.
Audit & infœlix aſpicit illa Pater.
Ille cadit, medioq; tenens in pectore ferrum,
Lethali ſectus uulnere cordis obit.
Quærenti Domino, num cautè torſerit aram,
An procul exierint ebria tela ſcopum?
Reſpondet genitor, non hæc mihi Iupiter ipſe
Certa magis poterat mittere tela manu.
Scilicet hoc Regum ius eſt, ea cura Potentes
Maxima, ne iuris æra ſit ulla, manet.
Talibus haud tutum eſt leporinas condere leges,
Quæ digna autoris conditione carent.
Has tamen exactiunt uacua ceruice Leones,
Cumq; ſuo tandem iura Solone uorant.

HEi mihi, quàm furor hic ſæpe exercetur in illos,
Qui ſacra cœleſti dogmata uoce ſonant?
Quos Deus ipſe ſui myſteria prodere uerbi
De uera Nati cognitione iubet.

Per

Per quos ipse suam uocali fulmine legem
Prædicat, & quales nos uelit esse monet.
Nam quia sancta Dei sapientia fabula mundo est,
Quòd non humana cum ratione sapit:
Hos contra elati furibundo pectore Reges
Sancta ministerij tollere iura student.
Sanguine sic toties Ecclesia lota Piorum
Exempla illius mille furoris habet.
Esaias Dominum iam lustra bis octo professus
Serrata sectus falce Manaßis obit.
Sic tandem Phario lapidatus ab Aprye Rege,
Helcia genitus Patre, Propheta perit.
Ipse etiam cunctis maior Baptista Prophetis,
Præsentem missus præco sonare Deum:
Dum uetat Herodi peruersum coniugis usum,
Quòd simul incestus fratris adulter erat,
Cogitur in medio dare carcere colla securi,
Et capite ad choreas pellicis ire comes.
Sic post mille uias, & mille pericula Paulum
Deuorat insontem bellua sæua, Nero,
Scilicet illa pios ingrati gratia mundi,
Communis Christo, quem docuere manet.
Cuius ad exemplum quoq; nos conformia membra
Hanc decuit socio pondere ferre crucem.
Dum rapidi Imperijs uastant pia templa Leones,
Quos stygius raptat per scelus omne Leo.
Ne tamen hic leporum similes formidine mundi.

Crimina

Crimina Doctores dißimulata tegant,
Tu rege Christe animos, uiresq; docentibus adde,
Te Duce, nulla potest ira nocere pijs.
Arma parent hostes, imponant Pelion Ossæ,
Vox æterna Dei muta latere nequit.
Quam siue infantes, seu Reges ore loquantur,
Hæc sine respectu iudicat æqua Deus.

QVi tamen in mundo mundana negocia tractat,
Is fato Leporum cautior esse potest.
Vt benè cum Leporum uim nouerit aptq; Leonum
Cuncta suo prudens dicat agatq; loco.
At quibus æqua data est æquali sorte potestas,
Et par officij conuenientis honor:
Illi tuta gerunt, quæcunq; loquuntur aguntq;,
His pius ex æquo singula censet amor.

PHILIP. MELANT.

Cum ueluti Lepores dare iura Leonibus audent
Hi, sacra qui populum uerba fidemq; docent,
Conanturq; truces sine ui fronare Tyrannos,
Contempti pœnas pro pietate ferunt.

Verba Aristotelis 3. lib. πολιτειῶν.

ὅθεν δηλὸν ὅτι καὶ τὴν νομοθεσίαν ἀναγκαῖον ἔναι πολίτους ἴσους καὶ τῷ γένει, καὶ τῇ δυνάμει. Κατὰ δὲ τῶν μὴ τοιούτων οὐκ ἐστὶ νόμος

νόμος. Αὐτοὶ γὰρ εἰσὶ νόμος. Καὶ γὰρ γε-
λοῖος ἂν εἴη, νομοθετεῖν τὶς πειρώμενος
κατ' αὐτῶν. Λέγοιεν γὰρ ἂν ἴσως, ἅπερ Ἀν-
τισθένης ἔφη τοὺς λέγοντας, δημηγορούντων τῶν
δασιπόδων, καὶ τὸ ἴσον ἀξιούντων πάντας
ἔχειν &c.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Ἐπάμεροι, τί δὲ τις, τί δὲ οὔτις, σκιᾶς ὄναρ
ἄνθρωποι, exclamat sapiens Poeta Pindarus, cum admiratione intuens hanc multiplicem miseriam generis humani, onerati tot calamitatum generibus, & utentis adeò fugaci & incerta uiuendi lege, ut uerissimè umbræ somnium dici possit homo, cui tàm uaria accidere possunt, quæ ipsum lætum ac florentem subito euertant. Ideò & Dauid conqueritur: Homo diebus suis fœno similis est, deflorescit sicut flos agri. Vbi primum uentus paulò asperior afflauerit ipsum, concidit, & ignorat amplius locum suum. Talia exempla fragilitatis nostræ multa nobis proponuntur fermè quotidie, ut discamus circumspectius & modestius uiuere, & assiduè petamus à Deo, ut ipse nos regat & custodiat, qui est uita nostra, & longitudo dierum nostrorum. Heri paulò ante cœnæ

cœnæ tempus honestus ac modestus iuuenis Petrus ab Henichen, natus ex nobili familia in oppido Saltza propè Magdeburgum, qui biennium usus est domestica consuetudine uiri nobilitate generis, eruditione ac uirtute ornatissimi D. Ioachimi à Beust, Iuris utriusq; Doctoris, & collegæ nostri, equo insidens flumen Albim ingressus, cum in occultam uoraginem equus prioribus pedibus incidisset, ipse de equo excussus, & uestis grauitate impeditus, aquis suffocatus est, cum aliquoties supernatans, filium Dei dominum nostrum Iesum Christum clara uociferatione inuocasset, & abiecta spe emergendi, eidem suam animam, ut conditori & redemptori unico, commendasset, id quod ab aliquot prope ripam stantibus mulieribus est exauditum. Domi etiam solitus est singulis diebus, mane & uesperi preces suas, & partes Catechesis clarè proferre, & habet ab omnibus, quibus familiariter notus fuit, bonum testimonium modestiæ, uerecundiæ & pietatis. Et absente Domino Doctore Bustio aliquoties dixit, se reuerso hero inuisurum patrem grandæuum, & fratrem doctum uirum, qui amplius decennio hic in studio pietatis, artium & Iuris egregiam operam nauauit. Sed hoc tristi & subito casu translatus est ad cœlestem patrem, in scholam multò meliorem, ubi audit coram, & intuetur filium Dei, quem in hac uita

uita ex uerbo Euangelij agnouit, & uera fide coluit. Eius corpus usitata sacrorum ceremonia terræ mandabitur hodie hora quarta. Petimus igitur, ut Scholastici ad nouas ædes Domini Georgij Scribæ huius ciuitatis in platea Consulum conueniant, & sua præsentia testentur, se & Doctoris Ioachimi Busti, & senis parentis nobilis ac honestissimi uiri Petri ab Henichen, & fratris Iohannis ab Henichen, dolore ac luctu adfici, quem ex hoc improuise obitu huius adolescentis haud dubie acerbum percipient, quem, ut Deus uera consolatione leniat, ardentibus uotis precamur. Deinde etiam, quod sæpe facimus, iterum, hortamur Scholasticos, ut hoc infidum & uorticosum flumen Albis fugiant, nec se ultrò in extremum uitæ discrimen conijciant, cum experientia didicerimus, Diabolum solere insidias struere uitæ nostræ in hoc flumine. Multa aliqui nobis tristia & insperata accidere possunt singulis horis. Non opus est, ut nobis pearila alia sine necessitate ultrò accersamus. Ideò simus cautiores, & in timore Dei mandatos labores urgeamus, & oremus Deum, ut ipse sit custos uitæ nostræ, ut arceat hostes piorum Diabolos, qui, ut Petrus inquit, circumeunt more Leonum rugientium, quærentes quem deuorent. Vltimo Iunij 1556.

In lectio-

IN LECTIONEM LOCORVM COMMVNIVM, & Pædiæ Cyri.

QVem sacra delectat mysteria discere uerbi,
Quod nobis cœli Christus ab arce tulit:
Curet id imprimis, ut certa singula norma
Discat, & in solidum dogmata corpus agat.
Aurea sed methodus magni contexta Philippi
Ingenio, gracili continet ista typo.
Inq; locos redigit summas discentibus aptos,
Ceu graue pictori linea moustrat opus.
Non liquor Hyblæus sic delectare palatum,
Vt liber hic animos erudijsse potest.
Dulcior Ambrosia tibi lingua Philippe docenti,
Eloquijq; tibi stillat ab ore fauus.
Sicut apes stipant generoso nectare cellas,
Si stipas libris optima quæq; tuis.
Adde quod omnigenas ueris è fontibus artes,
Quotidie summa dexteritate doces.
Scripsit & egregiũ Xenephon opus inclytus autor,
Alueolis condens Attica mella suis.
Digna legi, cunctis apis hæc monumenta reliquit,
In quibus & Cyri condidit acta ducis.
Vt puer ingenij dederit præsagia summi,
Præbuerit qualem se quoq; Martæ uirum.
Hos ego scriptores uobis studiosa iuuentus,

Qua decet interpres sedulitate legam.
Vos modò, qui aptiis studijs adiungere sacris
Historias Graio quas docet ille sono:
Significate mihi, nostrumq; accelite limen,
Contiguum domui limen Ebere tuæ.
Sum promptus uotis opera quacunq; licebit,
Nec studij cuiquam pars uacat ulla mei.

Die uisitationis Mariæ, Anno 1556.

Martinus Sidemanus.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA Vuitebergensi, Bartholemæus Lasan Cygneus.

OStendit terris & in aere multa sereno,
Irrita nequaquàm signa futura, Deus.
Signaq; naturæ, quæ non imitantia leges,
Portendunt subitum non procul esse malum.
Vidimus hoc anno rapidum flagrare Cometen,
Sulcantem dubias multa per astra uias.
Quodq; fuit mirum, uicino Sole Cometæ,
Cum soleant primas arripuisse faces:
Non prius accensos hic cepit spargere crines,
Astrorum quàm Dux è regione steit.
Aequabat motu phœbus noctemq; diemq;,
Vdaq; purpurei tempora ueris erant.

Hali-

Halitus è molli sublatus ad æthera terra,
Cum rutilæ speciem cœpit habere comæ,
Primùm, qua cœli προτυγήτης parte refulget,
Semina flammarum conspicienda dedit.
Altius Arcturi mox adfastigia pergit,
Sub rapido nullas dum facit axe moras.
Deniq; sicca super Cynosuræ sidera uectus,
Occupat Arctoæ signa suprema plagæ.
Inde gradum retro facit, & quæ noster Horizon
Astra capit, ursu proximiore legit.
Ac simul Auroram petit Eoumq; cubile,
Phœbus anhelantes unde reducit equos.
Hic subit Iasiden, & quæ te trans uada ponti
Aerium Perseu carpere fecit iter.
Candida cornigeri Phœbus iam limina Tauri,
Nec modo Phryxeæ uellus habebat ouis,
Protinus illius uestigia trita Cometes
Arripit, & Soli sidera iuncta tenet.
Hoc iter erratis multi uidere Cometæ,
Qui fera Teutonicis damna minatur agris.
Sunt anni decies octo, quo tempore uixit
Dux qui Burgundas Carolus auxit opes:
Tunc in suprema similis regione Cometes
Aeris, horrifico misit igne comam.
Is motu simili sese per inane uolutans,
Permensus cœli climata multa fuit.
Astrææ primum tenuit confinia Libræ,

Arctoi petijt culmina deinde poli.
Sed remeans illinc, medium qua circulus orbem
Diuidit, astrigeram lumine texit ouem.
Nulla ætas uidit flagrantem impune Cometen,
Non leue uenturum nunciat ille malum.
Tunc quoq; crebra tulit summis incommoda regnis
Ciuiles motus, publica damna tulit.
Quippe secuturas strages tristesq; ruinas,
Atq; tuæ retulit Carole signa necis.
Proxima uix ea post incendia uenerat æstas,
Carolus Heluetico cesus ab hoste cadit.
Tu quoq; Tisiphone mundi, tu dirus alastor,
Pestis & immensi fax Mahometh mali,
Paulò post fugiens cecidisti Hydruntè relicta,
Tandem blasphemos opprimit ira Dei.
Nunc quoq; blasphemos tangent Turcosq; Papamq;
Adproperans Nemesis iudiciumq; Dei.
Et segetes passim siccis morientur in herbis,
Et fient multis arida membra fame.
Sed quæramus opem diuinitus, atq; precemur
Aeterno gnatum de genitore λόγον.
Filius æterni λόγου effigiesq; parentis,
Assiduus custos agminis ipse sui,
Defendet sanctos inter mala plurima mundi,
Qui mitem toto corde precantur opem.
Cura sit interea uitam coluisse modesta
Omnibus, & uerbi discere iura sacri.

Dent

Dent etiam solito nobis sua nomina more,
Censuram studij qui subijsse uolunt.
Non labor his deerit noster, nec amica uoluntas,
Semper & ingenijs officiosa bonis.

1556.

IN SECVNDVM LIBRVM PLINII.

ABsoluta prima parte secundi libelli Plinij, in qua utcunq; explicata est doctrina de motibus Planetarum, accedemus iam ad alteram partem, quæ commemorat ea corpora, & species, quæ in aere efficiuntur ui & lumine stellarum, quæ pars μετεωρολογίας nuncupata, à ueteribus studiosè inquisita fuit. Iudicarunt enim homines eruditi materiam dignissimam esse, in qua uires ingeniorum suorum experirentur, scrutando causas illorum operum naturæ, quæ partim produci uidentur ideò, ut sint signa futurorum euentuum, qualia sunt parelia, irides, cometæ: partim, ut sint quasi instrumenta, quibus Deus maliciam hominum ingrauescentem puniat, ut sunt grandines, procellæ, fulmina, terræmotus: partim etiam, ut terram suauiter rigent, aut nimis humectatam exiccent, ut sunt pluuiæ, niues, ros, uentorum flatus. Vbi iucundissimum est uidere mirandum consensum cœli & aeris proxime nos circumdantis, qui facilime sentit planetarum inter se

congressus, aut aduersationes, & eorundem, atq; etiam fixarum stellarum cum sole exortus & occasus. Et quidem, quod admiratione dignissimum est, quanto stellæ minores uidentur, eoq; haud dubie etiam altiores & à terra remotiores sunt: tanto maiorem uim habent afficiendi & turbandi hunc proximum aerem. Nam ut de Pleiadibus, Hyadibus, Hædis & alijs quibusdam minutissimis stellis, quarum tamen efficacia in ciendis tempestatibus manifesta est, iam nihil dicam, eas consideremus stellulas, quæ in pectore Cancri positæ, adeò sunt obscuræ, ut non nisi serenissimis noctibus cernantur, quæ ab Astronomis Φάτνη præsepe, & ὄνοι asselli nominantur. Ad has tamen quoties Sol, Luna, Mars accesserunt, raro abit, quin aer turbetur imbribus, nisi uniuersales aliquæ causæ pluuiarum materiam absumentes, obstiterint, id quod experiri licebit circa medium huius mensis Iulij, quando cum Sole orientur manè & uesperi hæ stellulæ, circa Margaritæ diem, & rursus post assumptionis Mariæ, circa uigesimum mensis Augusti, quo tempore Mars ad easdem stellas accedet. Deinde omnibus ætatibus Cometarum apparitio homines doctos torsit, & impulit, ut causas eorum & naturam eò diligentius scrutarentur, quod experientia compererunt, nunquàm Cometarum exortum non consecutas esse magnas calamitates publicas,

eas, ut pestilentiam, sterilitatem agrorum, mortes Regum, Imperiorum ac religionum mutationes, sicut & Poeta inquit:

Et nunquàm in terris spectatum impune Cometen.

Harum rerum qualiscunq; cognitio cum dignissima sit liberabilibus ingenijs, appeti & hauriri auidè debet. Eam igitur partem Plinij, quæ Meteora recenset, Deo iuuante auspicabor die Iouis proximo, ubi primo loco dicendum erit de Cometis, de quibus cò diligentius agam, quod hic annus eiusmodi crinitam stellam habuit, & addam aliorum quoq; temporum similia exempla, adiunctis euentibus, qui Cometarum inflammationem secuti sunt. Quorum consideratio auditores de multis rebus utiliter monere poterit. Conueniant igitur Scholastici proximo die Iouis hora secunda in auditorio noui Collegij. Die 5. Iulij, Anno 1556.

Paulus Eberus.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

HIs annis scitis passim oppida in uicinis regionibus mediocria incendijs periisse, Goltbergam, Hirsbergam, & alia. Nuper & Cracouiæ pars urbis Casimiria, quæ habuit splendida ædificia, conflagrauit. Eodem fere tempore terræ motu magna pars Bizantij deiecta est, & multi homines ruinis oppressi sunt. Recens in hac uicinia & oppidum Spremberg incendio periit. Quod autem nobis hactenus pepercit Deus, agnoscamus ipsius hoc beneficium esse, quia nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam. Vult autem Deus nos modestos esse, et non accersere pericula, sicut scriptum est: Qui periculum amat, peribit in eo. Vult Deus nos facere officia uocationis, & simul ab ipso petere protectionem, ac protegit eos magis, qui misericordia adficiuntur in calamitate piorum, qui eiusdem Ecclesiæ membra sunt. Quare uos adhortamur, ut pauperibus Euangelij ministris & ciuibus Sprembergensibus, quorum perierunt niduli & supellex, opem feratis. Exerceamus fidem & spem auxilij diuini his officijs, nec dubitemus, Deum uicissim benefacere ijs, qui erga pios beneficentiam exercent, sicut scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus. Ostendamus uicinis coniunctis Ecclesiæ societate, nos adfici dolore propter ipsorum calamitatem, & quantum possumus, simus erga eos officiosi. Simus & in Christo nos una Ecclesia semper,

Vna fides iungat pectora & unus amor.

Vult Deus esse unum sibi nos iunctosq; tuetur,

Distractus rabies mutua utrinq; nocet.

Te autem fili Dei domine Iesu Christe oramus, ut nos gubernes & protegas. Datæ die 12. Iulij, quo die ante annos 1654. Iulius Cæsar natus est, qui postea formam Reipublicæ mutauit, & monarchiam constituit.

ARITHMETICAE STVDIOSIS.

TOtus in hoc mundo rerum pulcherrimus ordo,
Signa Dei nobis conspicienda dedit.
Siue quis aspiciat spacioſa uolumina cœli,
Siue etiam inferior quicquid hic orbis habet:
Numine cœlesti fatetur cuncta moueri,
Quiq; genus nostrum condidit, esse Deum.
Ille suæ nobis impressit semina mentis,
Quæ uelut artificis proxima signa forent.
Talia sunt numeri, quibus uno in numine trinum,
Nec plures alios nouimus esse Deos.
Hos igitur rectè sapiens Plato credidit alas,

Mens quibus æthereas posset adire domos.
Hinc petitur quicquid docuit sapientia prisca.
Artibus hæc reliquis fons & origo fuit.
Hæc sine notitia, quid enim nisi forte sequetur,
Horrida Barbaries Cimmeriumq; chaos?
Hæc sine, ceu nequeunt animalia cætera bruta,
Naturæ seriem cernere nemo potest.
Plura quidem nobis hæc percipiuntur ab arte
Commoda, nunc uersu non referenda breui.
Gnate Dei nostros te fortunante labores,
Vt iuuenum studijs consuluisse queam,
Huius ego tradam præcepta fideliter artis,
Qui uolet, audítor dexter adesse potest.

Nicolaus Scheller.
Coburgensis.

IN SPHAERAM.

HOc cœlum, cœloq; uago labentia motu,
Astra Deus uerbo cum fabricasset, aitæ
Signa futurarum minime fallentia rerum,
Sydera sint alto conspicienda polo.
Temporis inde suo faciant discrimina cursu.
Ad quem ritè dies mensis & annus eant.
Deniq; uiuifica perfundant omnia luce,
Luce tenebrarum disatiente chaos.

His breuiter nitidi fines complexus olympi,
Astrorum docuit commoda multa Deus.
Hoc quantum est? hominem prædicere posse futura
Stellarum uarium qui bene nouit iter.
Plurima nymborum, clari quoq; plurima cœli,
Aurea si species sidera signa dabunt.
Pleiadibus pulchri Sol iunctus tempore Veris,
Vt ruat à cœlo plurimus imber, agit.
Igneus urentes ac Sirius excitat æstus,
Cum rapidi phœbus terga Leonis habet.
Arcturus quando solari scandit ab ortu,
Aethereæ rursus præcipitantur aquæ.
Hic est conueniens rebus nascentibus ordo,
Quem sanxit summi prouida cura Dei.
Omnia quis memoret? sortem quoq; mõstrat olympus
Natorum, & uitæ fata futura docet.
Sæpe quis hinc monitus casus uitauit acerbos,
In quos, qui spernit sydera, sponte ruit.
Hoc sed prætereo. Nunc candide respice lector,
Commoda quæ uitæ temporis ordo ferat.
Annorum ratio mundi ni certa fuisset,
Nil nisi barbaries tristis ubiq; foret.
Nemo uetustatis certo monumenta teneret,
Factaq; nostrorum nemo teneret auum.
Historijs lucem tempusq; locusq; ministrat,
Tempore si careant hæ quoq; luce carent.
Hoc quoq;, nec pigeat, reputa studiosa iuuentus,

Nos cœli propter lumina luce frui.
Luce quid amplus habet radianti gratius orbis?
Quid tenebris homini tristius esse potest?
Ipse Deus lux est, tenebræ sunt mortis imago,
Sensu, qui res est lux odiosa caret.
Ergo tibi splendens cum talia præstet Olympus,
Astraq; cum cœli commoda tanta ferant:
Astrorum varios discas inquirere motus,
Qui capis ingenio conciliare decus.
Et quia lecturus causis adductus honestis,
Sphærica sincera sum rudimenta fide:
De tantis poteris me cras audire docentem,
Ad cœli facilem qui petis astra viam.

Michael Stibarus
Suabacensis.

PRAELECTVRVS
OVIDII METAMORPHOses & officia Ciceronis.

TE uires animo, te suppeditante vigorem,
Mandati aggrediar Christe laboris onus.
Christe iuua iusso meditantem munere fungi,
Parua laboriferæ dirige uela ratis.
Dirige conatus, accende cor, ora resolue,
Suffice consilium, robur, & auxilium.
Tunc ero uas gratum Deo, & organon utile multis,
Tunc

Tunc mea per placidas cymbula carret aquas,
Cum reget hoc agitans cœlesti flamine pectus,
Filius æterni lux & imago Patris.
Hæc utinam faciat mecum pia uota iuuentus,
Vtq; tuo assensu sint rata Christe petat.
Nam (quod amabilibus faustum sit & utile Musis,
Fontis & Aonij quod bene uertat aquis)
Inclyta Gymnasij voluerunt lumina nostri,
Quiq; tenent huius frena reguntq; Scholæ,
Me ueterum scriptos Latio sermone libellos,
(Assiduæ dignos hic & ubiq; legi)
Discendos rudibus proponere, eosq; monere,
Vt perferre styli tædia longa uelint.
Et præceptorum placitis parere necesse est,
Nec pietas, patriæ spernere iussa, sinit.
Ergo licet norim, quàm sit mihi carta supellex,
Perpetuo memet pœniteatq; mei:
Iudicijs tamen ut cedo reuerenter amicis,
Tot grauium meritis & pietate senum:
Sic agnosco mei tribui illa parentis honori,
Spiritus ætherea cuius arce in uiget.
Quo magis ignoscant, si quid titubauero, docti,
Si cœpti nequeam pondera ferre mei.
Hactenus hæc: tenui superest ut carmine dicam,
Ordiri iubear quos meditérq; libros.
Aspirante Deo, docilíq; fauente labori,
Qua potero cura, sedulitate, fide,

Enarra-

Enarrabo, pater quod gnato misit Athenas,
Consilij Cicero uir sapientis opus:
In quo uirtutis decus, officijq; decorum,
Autor Apellea pingit ut in tabula.
Certat enim eloquij cum flumine gratia, certat
Eloquij rerum cum grauitate nitor.
IN noua, quim etiam, mutatas corpora formas,
Carmine Peligni uatis & arte, legam.
Carmine quo celebrans gestarum tempora rerum,
Ludit amabilibus Musa uenusta iocis.
Historiasq; tegens fabellis, utile dulci,
Plurima formandis moribus apta refert.
Ac studiosa rigans doctrinæ fontibus ora,
Castalias pleno flumine fundit aquas.
Expoliunt mores & linguam talia scripta,
Ingenij uires exacuendo fouent.
Suppeditant uerbis ornatum, lumina rebus,
Splendorem numeris, carminibusq; sonum.
Copia, dexteritas, prudentia, forma, uenustas,
Vis, dulcedo, lepos, cultus & omnis inest.

Caspar Cruciger.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI BARtholemæus Lasan Cygneus.

SEruat Deus genus humanum, ut inde æternam Ecclesiam colligat, & hanc non aliter, nisi uoce doctrinæ

doctrinæ colligit, quam per Prophetas & Apostolos mandari litteris uoluit. Hos igitur, cum legi & rectè intelligi uelit, necessaria esse studia docentium & discentium, manifestum est. Quod cum ita sit, lætemur, nos esse in militia Deo grata, in qua dux est ipse filius Dei λόγος æterni Patris, qui semper adest uoci doctrinæ, & hac consolatione nos erigamus, ne studia literarum abijciamus, quæ magnæ difficultates & ærumnæ comitantur. Seruiamus Deo & Ecclesiæ, & ducem nostrum dominum Iesum Christum fortiter sequamur. Pertinent autem ad doctrinarum conseruationem exercitia in scholis prudenter instituta, ac præcipuè examina. Hodie igitur, quod faustum & fœlix sit, hora prima, Deo iuuante, publicè explorabitur eruditio eorũ, qui nunc testimonio nostro ornandi sunt. Ad hanc explorationem, ut collegæ nostri & alij docti uiri conueniant, petimus, Quid est honestius & dulcius eruditorum congressibus? in quibus sine odijs placide de rebus magnis differitur, & ueritas illustratur, & confirmantur in animis ueræ sententiæ, & multæ magnæ uirtutes. Et quæ alia propior est imago cœlestis Academiæ, quam hæc placida ueritatis inquisitio, quam scimus Deo gratam, & uerè λογικὴν λατρείαν esse. Hæ tantæ causæ moueant quàm plurimos, ut libenter intersint his colloquijs. Die Laurentij 1556.

Rector

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

SPira oppidum est in ripa Rheni propter multas causas celebre, dictum à Græca adpellatione σπείρα, quod est cohors. Est enim opus Constantini Imperatoris, qui fuit Pater Constantini Magni, ut uetus ibi monumentum indicat, & supra id oppidum Spiram tribus milliaribus est Heidelsheim. In eo oppido natus est uir clarissimus, ingenio & uirtute præstans, Hieronymus Gerardus, Doctor Iuris, qui nunc illustrissimi Ducis Vuirtbergensis Consiliarius est, et Ecclesiæ & Patriæ utiliter seruit. Huius Doctoris Hieronymi consobrinus Melchizedek Liderer, hac nocte ex ærumnis huius uitæ ad cœlestem Ecclesiam euocatus est. Semper & mores eius pij fuerunt, & cum studio linguarum & Philosophiæ coniunxerat Ecclesiæ doctrinam. Nunc quoq; in hoc morbo quotidie se & Ecclesiam & patriam ardentibus uotis commendauit filio Dei Domino nostro Iesu Christo, & hac se consolatione confirmauit: Sic Deus dilexit mundum, ut filium dederit unigenitum, ut omnis, qui credit in filium, habeat uitam æternam. Hac erecta fide, cum ex hac uita decesserit, speremus eum in numero esse eorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Etsi dolemus bona ingenia, ut bonos milites à nobis

nobis duelli, tamen uoluntati Dei obtemperandum est. Hortamur autem Scholasticos, ut ad funeris ceremonias conueniant hora quarta, & pijs uotis singuli suam uitam et Ecclesiam Deo commendent, quia scriptum est: Ipse est uita & longitudo dierum. Die Augusti 15. Anno 1556.

IN IMAGINEM ERIDOS.

VRbs ubi Cecropie de nomine dicta Mineruæ,
Doctrinæ sedes clara frequensq; fuit:
Effigies olim simili depicta figura,
Palladis in Fano conspicienda stetit.
Quæ tumet oppressis Virgo galeata capillis,
Et monstrat formæ, corpora nuda, deus.
Est ERIS, alatis quæ mollia brachia pennis
Explicat, & sæui crura Leonis habet.
Pars postica sinus uarios caudamq; retortam,
Lenigradoq; orbes syrmate Sphyngis agit.
Ipsa ERIS è fuluo gestat preciosa metallo,
Quæ pugnam medio uertice poma cient.
Aspicis alituum certamina dira ferarum,
Diuersis spolijs prælia Gryphes agunt.
Aurum Gryphes amant, auri de pondere certant,
Quisq; uelit uinci robore neuter adest.
Dic mihi fatidico si quis potes ore profari,

Die mihi quid præsens signat imago rei?
Virgines hæc facies certa ratione Sophistas
Pingit, & illorum iurgia mille notat.
Sphynx Eridos pars est, nam falsa Sophistica lites
Auget, & incensos armat ubiq; uiros.
Rixosus teneræ licet os habitumq; puellæ
Induit, & speciem simplicitatis habet:
Armatam mentem tamen, affectuq; feroces
Gestat, illa galea tempora tecta docent.
Cauda uenenifero ceu plena nigrore tumescit,
Nectit & ambages mirificosq; sinus:
Sic labyrintheos norunt effingere flexus,
Qui iustis aliqua fraude nocere uolunt.
Proteа quot memorant potuisse assumere formas,
Quot potuit Triton assimilare feras:
Ludere tot didicit rabiosa Sophistica technis,
Nec satis est uno fallere posse modo.
Quippe ubi proposito cecidit deiecta tenaci,
Scit bene κρυοφυγέτοις clam latitare suis.
Adde Leoninis pedibus quot proterit omnes,
Artibus expugnat quando Sophista malis,
Materiam rixis certaminibusq; dat aurum,
Non leue quod pugnas concitat ecce bonum.
Splendor inest rebus, cordis quas expetit ardor,
Turbaq; nos homines ambitiosa sumus.
Molliri nescit mens, & uirtute domari,
Quilibet ingenio cedere turpe putat.

Incedit

Incedit passim mala lis, & insania garrit,
Obiecit & cupidis aurea poma uiris.
Sunt etenim, ut cæcis uespertilionibus, alæ,
Omnibus ut terris perstrepuisse queat.
O utinam nostris odiosa licentia templis,
Sphyngos & æternum tristis abesset ERIS.
Nam melius nihil est concordi pace piorum,
Est ingens rabida lite uacare bonum.
O procul excedat terris diuumq; cathedra,
Humani generis maxima pestis Eris.
Nil, nisi quod stabilis sancit Concordia, durat,
Hac sine nec mundi machina stare potest.

Zacharias Prætorius.

Anno 1556.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI BARtholemæus Lasan Cygneus.

SCitis iam Solem peruenire ad sidus, quod uirginem uetustas nominat, quam interpretati sunt Astræam ac iusticiam. Fortassis pater Astræus & filia docuerunt aliquid de astris, & de uirtutibus. Sed nota est descriptio uetus, Astræam pulsam ex urbibus, postea diu doquisse exiguos cœtus in agris. Ne

obſcura eſt allegoria. Multum eſt proh dolor ubiq; ſcelerum, ut dixit Poeta.

Omnia fanda infanda malo permiſta furore.

Sed tamen adhuc concionatur iuſticia, uel potius Sol iuſticiæ filius Dei λόγος καὶ ἐπώνυμος ἀϊδίου καὶ ἀϊδίου πατρός, in uera Eccleſia, quæ eſt exigua, & uarie quaſſatur. Cum igitur Dei beneficio nos quoq; ſimus pars ueræ Eccleſiæ Dei, grati agnoſcamus nos ad hanc ſocietatem & doctrinæ cognitionem uocatos eſſe, & precemur ipſum Solem iuſticiæ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut nos doceat & gubernet, & ſtudioſe neceſſariam doctrinam diſcamus. Cum igitur cras Deo iuuante, publico teſtimonio gradus Magiſterij Philoſophici, hos, quorum aſcripta ſunt nomina, ornaturi ſimus, petimus, ut conuenientis, & ut fauere uos his ſtudijs uideamus, & ut nobiſcum uota faciatis, ut Deus inter nos clementer ſeruet Eccleſiæ ſuæ reliquas, nec ſinat extingui lucem doctrinæ, ac ſit iam ardentior inuocatio, quia in uicina Pannonia magni utriuſq; exercitus, ubi niſi Deus repreſſerit Turcos, haud dubie procedent in Germaniam, ſiut narrant ipſi, Bohemiam ſe inuaſuros eſſe, ut ad Albim arcem belli habeant, unde uaſtationes in utraq; ripa facere poſſint. Sed precamur filium Dei auſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut nos protegat.

In ſecun-

IN SECVNDAM PARTEM ORATIONIS pro Marco Cælio.

EXplicauimus in oratione pro M. Cælio, eam duntaxat partem, in qua extra cauſam, quædam crimina, Cælio obiecta Orator diluit, nondum uerò peruenimus ad propriam cauſæ quæſtionem. Illa uerò quæ ſequuntur, cum multo ſplendidiora & ornatiora ſint, magis delectare ſtudioſos poterunt, longeq; eis plus prodeſſe ad parandam eloquentiam, & orationis copiam alendam. Eſt enim hæc poſterior orationis pars ita uariata locis communibus, alluſionibus, figuris & geſtibus, uix ut in multis orationibus Ciceronis locum inuenias, quem, quod ad elegantiam attinet, cum hoc conferre poſsis. Cum autem ualetudinis cauſa lectionem publicam aliquandiu intermiſerim, hodie, Deo auxiliante, ad intermiſſum laborem redibo, & aſsiduitate compenſabo, quicquid hactenus negle-ctum eſt.

Antonius Vualterus.

OPT: ADOLESCENTI IEREMIAE SCHVTZ NORIbergensi Vuitebergæ mortuo.

Sic ne suos nunc fata probant immitia uires,
Priuatisq; addunt publica damna malis?
Ventum ad supremũ est, nunc hæc, nunc exhibet illa
Signa Deus, magni nuncia signa mali.
Aduocat ad sese iustos ex mole malorum,
Et secum in cœlo uult superesse bonos.
Hanc mundi secum uitæ candore piorum
Vltrius dignam uix putat esse Deus.
Pectora qui geritis pietatis amantia ueræ,
Hæc tangat tacito pectora cara sinu.
Credite non casu iusti moriuntur iniqui,
Funera credamus cœlitus ista regi.
Vita fugax hominum, magnorum plena malorũ est,
Nosq; latet, quæ sint fata futura brevi.
Fœlices, quos inde sua bonitate redemit
Christus, & in cœlo regna beata dedit.
Hæc Anathoridæ, iuuenis, qui nobile nomen,
Geßisti, à Christo sunt data regna tibi.
Molliter ossa cubent, nunc est sine fine beatus,
Qui bonus est, dicat, molliter ossa cubent.
Qui pius est, ille ad similem se præparet horam.
Nam uenient celeri fata statuta pede.

Nescit

Nescit uita suæ properantia tempora metæ,
Incertum est quando te uocet inde Deus.
Sed bene decedit, qui cor tibi Christe paratum
Offert, & recto pectore summa petit.
Viue, uale iuuenis, tibi uita est morte redempta,
Morte tibi parta est uita corona, salus.
Morte tibi nunc uita data est, non uita uenenum,
Aut labor, in Christi sed sita uita sinu.

IEREMIAS AD SVOS.

Viuo, ualete mei, mihi mollia fata precantes,
Omnibus creptus nunc bene uiuo malis.
Abijcite è uestro conceptos pectore luctus,
Dicite, iam uitæ gaudia noster habet.
In gremio Christi requiesco ad iudicis horam,
Morsq; mihi lucrum est, tu pie Christe salus.

Nicolaus Selneccerus
Noriberg.

Ἐπιτάφιον τοῦ Ἱερεμίου ἀκουτίου
τοῦ Νωρικοῦ.

Ἐνθάδε κοιμᾶτ᾽ μαλακῶ δεδμήμενο᾽ ὕπνῳ
Ἱερεμίας, μοιῶον σῶμα καθεῖλε μόρο᾽.
Ἔσετ᾽ ἦμαρ, ὅταν φωνῆ σάλπιγγο᾽ ἐγερθείς,
Νοσήσει γήθωμ ἐς φάο᾽ ἠελίου.

Αντήσει δ' ἐλθόντι ἀπ' οὐλύμποιο καρήνων
Σωτῆρι Χριστῷ σὺν στρατῷ ἀγγελικῷ.
Τῆς σοφίας βείας ἀπολάνων εὐφροσύνηστε
Τοῦ Χριστοῦ θεατὴς ἔσσετε ἠδὲ πατρὸς.

Iohannes Schelhamer
Noriberg.

IDYLLION DE PHILOMELA.

VEr erat, et lenem meditans ſpaciabar ad Albim
Ore facit dulces, quà Philo Mela ſonos.
Quæ quantum reliquis præſtat moderamine uocis,
Reſpectu reliquis tam ſolet eſſe minor.
Hæc ſedet inſomnem cantu ſolata laborem,
Laudat & in ramo grata uirente Deum,
Vtq; animum cœpit uocis mulcere uenuſtas,
Miror & argutos & ſine felle ſonos:
En ſtrepitum roſtro turpes fecere uolucres,
Et ſtomachum mouit ſtridula turba meum.
Hanc uagus infeſtat Cuculus certamine linguæ,
Fundens de Lyris Flaccida uerba modis.
Huius ſpuma ſolet raucas generare cicadas,
Cum folia immundis polluit ipſe notis.
Iungit ſe comitem ſtridenti carmine Gallus,
Turbatrix placidæ nempè quietis auis.
Et procul innocuum pennis ſe tollit in hoſtem,

Arteq;

Arteq; cum nequeat, Marte nocere cupit.
Hinc immunda ſuas quoq; conſerit Vpupa uires,
Vpupa Stercoribus ſemper odora ſuis.
Hinc Merula impellit calidas in iurgia mentes,
Pectore nigra ſuo, uoce Superba ſua.
Tu quoq; uoce furens clangorem mittis Oſyna,
Conſita quæ multo piſce fluenta colis.
Quem mihi ſpes fuerat pacis Sarcire ruinam,
Conſuit in rixas fragmina trita nouas.
Nec Philomela ſuæ differt modulamina linguæ,
Sed ſpargit uario nuncia læta ſono.
Ac aduerſa pio uincit mala corde ferendo,
Pacis amans uulgo iudice ſpretus erit.
Talia dum cerno peragi ſpectacula cantu
Alloquor: ô uolucris quæ mihi ſola places:
Quas tibi, quas tali reddam pro carmine grates?
A ſcrobe conſeruent Dij tua membra diu.
Te ſemper mea uita ſequar, tibi luce canenti
Tendimus has aures, cætera turba uale.
Quem tua non captum mira uox detinet arte,
Huic Cuculi numeret tempora longa ſonus.
Tempus erit rabidum quando Canis excitat æſtum,
Tunc metuens ignem cortice membra teget.
Stulta leues capiunt animos, ſua cuiq; libido eſt,
Vtrem pro cithara gaudet habere Midas.

Anno 1556.

EVSEBIVS LIBRO DECIMO HISTORIAE ECclesiasticæ pag. 112.

Ὁ μέγας τῶν ὅλων Ἀρχιερεὺς αὐτὸς Ἰησοῦς ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ, τὸ παρὰ πάντων εὐῶδες θυμίαμα, καὶ τὰς δι' εὐχῶν ἀναθυμιάσεις καὶ αὔλους θυσίας, φαιδρῷ τῷ βλέμματι καὶ ὑπτίαις ὑποδεχόμενος χερσὶ, τῷ κατ' οὐρανὸν πατρὶ καὶ θεῷ τῶν ὅλων παραπέμπει πρῶτος αὐτὸς προσκυνῶν, καὶ μόνῳ τῷ πατρὶ τὸ καταξίαν ἀπονέμων σέβας, εἶτα δὲ καὶ πᾶσιν ἡμῖν εὐμενῆ διαμένειν καὶ δεξιὸν εἰς ἀεὶ παραιτούμενος.

Magnus uniuersæ Ecclesiæ Pontifex ipse Iesus unigenitus Dei, odorem benè fragrantem, & incruentas & incorporeas hostias precum, ab omnibus læto uultu & supinis manibus accipiens, cœlesti Patri & Deo omnium creaturarum offert, Primus ipse adorans, & solus patri dignum tribuens honorem. Deinde omnibus nobis placatum manere & propicium semper precans.

CYPRIANVS IN PRECATIONE ANTE SVPPLIcium Pag. 505.

Ego in tuo nomine peto, ut tu à Patre petas, & detur mihi.

Pragensis Cynicus negat Dominum nostrum Iesum Christum, nunc Intercessorem esse, Negat item inuocandum esse hoc modo: Fili Dei intercede pro me apud æternum Patrem. Sed scimus utroque modo filium Dei inuocandum esse, uidelicet, ut Deum datorem bonorum cum Patre & Spiritu sancto. Ac rursus ut Mediatorem & intercessorem, ut propter ipsum exaudiamur, ac ut ipse pro nobis sit deprecator apud æternum Patrem, & ut ipse perferat nostros gemitus & preces ad æternum Patrem, iuxta dictum: Tu es Sacerdos in æternum. Et Roma. 8. Capit. Qui est ad dextram Dei, & interpellat pro nobis. Et Ebre. 7. Semper uiuens, ut interpellet pro eis.

Anno 1556.

PRECATIO REGIS IOSAPHAT EX LIB. II. Paralipo: Cap. 20.

DVm nos aucta malis miseros atrocibus urgent
Tempora plena dolis, tempora plena minis.
Siue manet pressis diri uiolentia belli,
Queq; abolet pacis uis inimica decus.
Seu crudele grauat falsa nos lege tribunal,

Damnat

Damnat & immeritos uox uiolenta reos.
Siue lues atris exurit febribus artus,
Seu terit exanguis uiscera sicca fames.
Mitis ab his terris gemitus pater accipe nostros,
Mandati sonuit uox ubi clara tui.
Hic quoniam largo tua gratia munere fulsit,
Facta q; per nomen uota fuere tuum.
Da Deus in te unum sincero pectore fixi.
Intrepide faciem stemus ut ante tuam.
Et nisi nos merita tua gratia deserat ira,
Stabimus, inq; tua uota feremus ope.
Fundemusq; preces fido clamore sonantes,
Vt tanti auertas tristia fata mali.
Et tu respicies miseros, dubijsq; benignam
Rebus opem, patria pro pietate, feres.
Ecce dies & tempus adest, quo feruidus hostis
Irruit, & ferro uiscera nostra petit.
Deleat ut grata pulsos è sede colonos,
Munere quam tenuit nostra propago, tuo.
Ne patiare Deus grassari impune Tyrannos,
In nomen duaunt qui fera bella tuum.
Et quia tanta nequit nostro uis Marte retundi,
Et superat nostras copia tanta manus.
Dum mens nostra graui caligine mersa laborat,
Nec bene quid deceat pectora cæca uident:
Ad te oculos fixos animo fidente leuamus.
Tu gemitus audi uotaq; nostra Deus.

Tu

Tu rege conatus, tu robora mentibus adde,
Vt tibi quod facimus omne probetur opus.

LECTORI S.

VAlde prodest nosse integram annorum seriem inde usq; à condito mundo. Neq; enim ita nos inepire decet, ut fecerunt Plato & Aegyptij, qui retrò multa millia annorum ad exordium mundi numerarunt: Aut etiam ut Aristoteles, qui æternitatem quandam sibi fingit, nec certo tempore mundum extitisse existimat. Quantæ enim tenebræ in Ecclesia essent futuræ, si exordium mundi ac temporum interualla nescirentur? Nam neq; series patefactionum diuinarum ostendi posset, neq; sciri, quæ prima esset doctrina, ubi aut quibus testimonijs tradita, aut quibus temporibus superstitiones paulatim exortæ ueram de Deo doctrinam obscurassent, & tandem auctæ in maxima generis humani parte eam prorsus extinxissent. Quare necesse est assiduè legi historias.

Ac profecto magnum Ecclesiæ decus est, quod in sola historia Prophetica retenta est integra annorum series, ab initio mundi usq; ad Persicam Monarchiam. Nam Ethnicæ historiæ integræ nullæ extant, in quibus primæ Monarchiæ initia et res gestæ ordine sint comprehensæ. Herodotus primus inter omnes si-

res suam historiam inchoat à Monarchia Persica, superiora tempora uix leuiter attingit. Hunc sequuntur Thucydides & Xenophon, & alij postea, qui res Macedonicas & Romanas scripserunt. Ita singulari Dei beneficio maximarum mutationum series est conseruata.

Ac danda opera est studiosis, ut quod Polybius iubet, integrum historiarum corpus animo comprehendant. Id efficient, si prius cognitis sacris historijs adiungant lectionem eorum, qui posteriorum trium Monarchiarum res complexi sunt. Diligendi autem sunt præcipui scriptores, inter quos Herodotus ut primus, ita reliquorum dux est atq; Princeps. Nam & suauitate orationis & eloquentia cæteros uincit, & res utiles ac scitu necessarias complectitur. Ostendit Monarchiarum seriem, recitat multa politica consilia, quæ nerui sunt bonæ ac fœlicis gubernationis, indicat causas mutationum & inclinationis in imperijs & rebuspublicis. Multa denique continet exempla uirtutum & uiciorum, ac simul scelerum pœnas narrat, ut lectorem de iudicio diuino commonefaciat, & ad studium uirtutis excitet. Ac inter cætera hanc quoq; sententiam, utilem ad disciplinam & mores gubernandos, recitat: τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ ἁμαρτίαι παρὰ τοῦ θεοῦ.

Ideò

Ideò etiam grata sit huius autoris lectio, quia recitatio quorundam Regum Assyriorum, Aegyptiorum & Persicorum congruit cum Propheticis historijs. Cõfirmantur enim animi talibus testimonijs, ut eos doctrinæ, quæ in Ecclesia traditur, libentius & firmius assentiantur.

Cum itaq; rogatus essem à nonnullis popularibus & amicis meis, ut libros Herodoti enarrandos susciperem, gratificandum ipsis hac in re iudicaui. Etsi autem meo me pede meliorem, & agnosco, me in his rebus tyronem esse, tamen Deo iuuante perficiam, ut studium & fidelitatem mihi non defuisse auditores intelligant. Auspicabor autem enarrationem die Iouis hora quarta in ædibus Pharmacopolæ.

Henricus Moller
Hamburgensis.

FINIS.

VVITEBERGAE
EXCVDEBANT HAEREDES
GEORGII RHAVV IMpensis CVNRADI
RVELII.

ANNO M. D. LXII.